













Edmundi Hollyngi,

EBORACENI ANGLI,

DOCTORIS MEDICI, ET PROFESSORIS INGOLSTADIANI.

MEDICAMENTORVM OECONOMIA NOVA, SEV,

quod idem est, noua Medicamentorum, in classes, sedes, atque familias, distribuendorum ratio.

Cum licentia & facultate Superiorum.



INGOLSTADII,
Typis Ederianis, per Andræam Angermarium.

ANNO M. DC. X.





SERENISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO, D. MAXIMILIANO, COMITI Palatino Rheni, vtriusq; Bauariæ Duci, &c. Domino suo Clementissimo.



QVI suas alteri lucubrationes nuncupãt (Serenissime Princeps) id faciunt, aut, vt ab illo, cui nuncupãt, labor ipsorum, studium, industria probetur, aut, vt pro beneficijs acceptis illi se gratos ostendant, aut, vt obseruãtiam illi suam declarent, aut, vt ipsius vel benignitatem promereantur & experiantur, vel fauorem ac gratiam consequantur &

conſeruent, aut, vt præfixum illius nomen, maiorem operi ſplendorem & authoritatem conciliet, aut, vt à calumnijs ipſius patrocinio muniantur. Vt autem Serenitati veſtræ libellum hunc ego meum nuncupem, hæc me ſimul omnia vehementer impulerunt. Etenim ab illo res meas maximè probari cupio, cuius prudentiam omnes non agnoſcunt tantùm & profitētur, verùm mirum etiam in modum ſuſpiciunt & admirantur. Illi, ſi non quanta debetur, referre, quãtam tamen maximam animus capere poteſt, gratiam habere conor, à quo maximis ſemper ſum affectus beneficijs. Illum ego potiſſimùm ac plurimùm obſeruare, colere, venerarique contendo, à quo tanquam propitio quopiam numine vitæ meæ ratio tota dependet & incolumitas. Illius ego benignitate foueri ſtudeo, qui, cum natura ſit Princeps, ad diuinam perfectionem, ſua beneficentia, proximè videtur accedere. Illius ego fauore frui deſidero

ſidero, qui cũ ſummè ſit potens, ita placabilis eſt & pacatus, vt odio ſit illi crudelitas, amori verò pietas & clementia. Illius ego præfixum huic opellæ nomen opto, qui propterea plus eſt allaturus ei ſplendoris, quòd ipſius eminentiſſimo fulgore veluti ſolis cuiuſdam radijs, tota reſpublica Chriſtiana colluſtretur. Illius ego denique patrocinium imploro, cuius ea vis eſt & virtus, vt valeat & velit ab omni tam calumnia quam calamitate ſuos defendere. Eſt autem haud alius ille, quàm veſtra Serenitas, cui cum iſtis adductus rationibus, libellulum hunc nuncupem, tum eam ſupplex oro, ne, vel laborem hunc meum, & exilem hanc gratitudinis erga Serenitatem ſuam ac obſeruantiæ meæ teſtificationem aſpernetur, vel ſua benignitate, clementia, gratia, authoritate protectione que me patiatur vnquam deſtitui. Deus Opt. Max. Serenitatem veſtram, Eccleſiæ Catholicæ, Patriæ ſcholæque,

ſuæ, mihi, quamdiutiſſimè ſaluam ſer-
uet & Incolumem. Datum Ingolſtadij,
Anno 1610.

Serenitati veſtræ

Aeternum deuotus

Edmundus Hollyngus,
Anglus.



AD

AD MAGNIFICVM, NOBILEM, ATQVE CLARISSIMVM VIrum, Dominum Thomam Mermannum, à Schœnberg in Auffnouen, Serenißimorum Bauariæ Ducum Archiatrum Comitem Palatinum Cæsareum, &c. Dominum Patronum meum ſemper obſeruandiſſimum.

SOLENT ij (Magnifice Domine) qui libros curant edendos, à lectore beneuolo, fuſa prius & accurrata quapiam oratione (præfationē illi vocant) inanē venari gratiam, quàm ad rem ab ipſis inſtitutam accedant. Ego verò cum iam quid noui ſim molitus, tum huic etiam antiquæ conſuetudini, nouo quodam modo facere conabor ſatis, & propterea, pro lectore, quem alij neminem nominant, omnem intelligunt, te ſolum elicio, nominoq́; cui, non

tam emendicandæ falsæ gratiæ causa, quàm vt consilij factiq́ mei rationes exponam, præfari velim. Etenim inprimis, tu cādidus verborum interpres, censor sententiarum incorruptus, æstimator ac iudex rerum æquißimus, mihique proinde sic solus instar omnium, vt cum sciam, quod abs te iudicatum vident alij, ratum id omnes habituros, ac suum iudicium adhibere desituros; alterius cuiusquam censuram quàm tuam non pertimescam, deinde nemo iā ab annis plurimis, vel res meas, vitæ rationes, ac mentis agitationes magis ac melius perspectas habet ac cognitas, vel me toties ad scribendum est adhortatus, quàm Magnificentia tua. Neq́ verò toties admonitus à Magnif. tua tādiu distulissem plurimarum ad medicinam spectantium commentationum, editionem, imò dudum totam forsan artem medicam, si non fusè, compendio saltem aliquo breuiter tradidissem, nisi duplex quotidie docendi mihi neceßitas incumberet, quæ me cogitantem ac conantem semper aliquid, aliò continuè vocat, & lectionibus quotidianis me totum ita mancipat, vt vix

vix ſcalpendis, (vt vulgo dici ſolet) auribus otium mihi permittatur. Es demum tu ſolus, cui poſt Deum ter Opt. Max. & Sereniſſimos Bauariæ Duces Dominos meos clementiſſimos, omnia debeo Seruitiorum & officiorum genera. Quare percipe quæſo tandem quæ ſit inſtituti mei ratio. Cum in tres Medicina partes ſecetur, quarũ vna, ſuo complexu continet ac coercet vnares naturales, alia, res nõ naturales, tertia, res eas, quæ ſunt (veluti loquuntur Medici) præter naturam: tum, poſtquam aliâs, ex prioribus duabus aliquid ſelegerim, quod ſubciſiuis horis tractarem, ex rebus quidem naturalibus, ventriculi coctionem, quam chyloſim vocamus, ex rebus vero non naturalibus, ſalubrem ſtudioſorum victum, volui pariter in rebus quæ ſunt præter naturam idem præſtare. Quod autem, ex omnibus quæ quoquo modo ſpectãt ad res præter naturam, hoc argumenti genus pertractandum ſuſceperim, fuit id equidem in cauſa, quòd per annos aliquot & viginti poſitos in publico docendi munere, nihil (vt ingenue fatear) perſenſerim æque torquere, vel ingenium

nium meum, quàm explicare, vel auditorum animos, quàm intelligere vulgatam medicamẽtorum per facultates distributionẽ, quòdq; cõtinuè viderim difficultatem vnam ex alia sic exeuntem, vt nullus esset vel auditoribus ambigẽdi, vel mihi, dubitationes ex ipsorum animis eximendi finis. Hinc factum, vt hanc illis tandẽ tractationem sim pollicitus, in qua quamuis generalis à Galeno traditus Medicamentorum per facultates dispescendorum modus non obseruaretur, multa tamen quæ circa particulares ipsorum differentias ab eo dicta sunt obscurius, & scitu sunt apprimè necessaria, sic dilucidarentur, vt illi non tam in vno contradixisse, quã in multis lucẽ attulisse videri possim: Id vt tibi videatur percupio, planeq; profiteor, non alium fuisse meum, qui Galenum nimis religiose (ne dicam superstitiose) colit, animũ. Ad hãc rem sum vsus non tã cõiecturis proprijs, quam firmissimis rationũ momentis, & aliorum testimonijs, ne singulariter sapere sentireq; me quispiam suspicaretur, atque ne quis existimare posset ex alienis me lucubrationibus, suppresso cuiuspiam nomine

mine

mine, velle mihi laudem comparare, cuiusque nomen, & ipsius ipsissima verba quàm potui fideliter adscripsi, nullius famam lædens, nec vlli calumniã aut contumeliã inferens. Quid plura? prodesse cũctis, obesse nemini, Dei gloriam, & vtilitatem publicam, neglectis prorijs vitæ meæ commodis, quærere, nec hactenus destiti, nec imposterùm (Deo dante) quãdiu vita suppetit, desistam: sed si laborem hũc meum intelligam haud ingratum, enitar modis omnibus, vt, post erutũ in singulis his medicinæ partibus aliquid, ad vniuersam tãdem medicinam enucleandam paulatim accedam. Interea (vir amplissime) tuæ mihi benignitatis auram ne deneges, sed clementer & amãter, solito cliẽtulum me tuum fauore prosequi complectiq; digneris, tibique de me pollicearis omnem erga te tuosq; vicissim animi propensionem, demissionem obseruantiam & gratitudinem. Vale. Datum Ingolstadij.

Magcæ. Nobilis, atq; Clmæ. D. Væ.

Cliens humillimus.

Edmundus Hollyngus,

Anglus.

DE



DE MEDICAMENTORVM COGNOSCENDORVM, ET IN ORDINES DISPESCENDORUM, VTILITATE NECESSITATEQUE.

Caput primum.



Vemadmodum Medicos olim pro dijs habitos, & diuinis honoribus affectos fuisse, legimus, non aliam ob causam, quàm quòd miseris & afflictis ægris, subitam & insperatam salutem (doloribus immanissimis ac cruciatibus sedatis, vulneribus ac vlceribus contumacissimis persanatis, morbis omnibus periculi pernicieique plenissimis profligatis, & hominibus animam velut agentibus, quos vulgus pro mortuis habebat

bebat à morte vindicatis, attulerint: ita non immeritò medicamenta, quibus ista Medici pręstiterunt, auxiliares deorum manus, prout etiam ab Herophylo Praxagoræ discipulo vocari solita sunt, veteres existimabant. Sunt autem propria Medicorum instrumenta, sine quibus haud aliter quàm hominem, animalium sapientissimum, sine manibus, pace belloque minus idoneum esse, 1. de partium vsu Galenus pronuntiat, medicum mancum, hoc est, tum sibi, tum alijs inutilem Hyppocrates affirmat, lib. de decenti ornatu §. 7. sub finem: Quam sanè diuini senis sententiam, vel vnicum illud cõfirmat, quòd, quamuis Medicus sit in alijs omnibus Medicinæ partibus versatissimus, Medicamentis tamen instructus haud fuerit, nec sibi laudem ac lucrum comparare, nec alijs sanitatem, suauissimum vitæ condimentum, vel acceptam à natura conseruare, vel aduerso casu quopiam ereptam, reddere possit ac restituere.

tuere. Nequè verò, quantumuis corporis, ac partium ipsius omnium constitutionem & constructionem, integram à corrupta, firmam ab infirma commodè distinguat, aut morbi sedem inuestiget sedulus, & inueniat, aut causarum signorum ac symptomatum seriem perfectè calleat, aut quid agendum cum ægro sit, cognoscat, aut hæc simul omnia sciat, præclari quicquam efficiet, nisi muneri suo facere satis, hoc est, morbis humani corporis, (quod citra Medicamentorum peritiam fieri nequit) mederi, tum velit, tum valeat. Immò sunt quidem multi qui non dissimili ratione ducti planè putant, alijsque persuadere conantur hanc, vnam rem quæ laborantibus (vt ait ad Thrasybulum quadragesimoseptimo capite Galenus) opitulatur, tam esse Medicorum propriam, vt eos in esse suo vel sola constituat, & ab alijs hominibus quibuscumque, manifesto quasi discrimine, separet ac secernat. Etenim habent

(inquiunt)

(inquiunt) cæteræ Medicinæ partes ferè singulæ, neſcio quid cum alijs ſcientijs, ac artibus commune, nec vel in earum vlla, vel in alia re quauis medendi ratio, (quam propriè Medicinam appellare conſueuimus, & à qua medico nomen eſt impoſitum, Galeno teſte, ſecundo de ſau: tuenda octauo) quàm in auxiliorum quantitate, qualitate, vtendi modo, & temporis occaſione, (prout idem ad Glauconem, primo, diſertiſſimè declarat) conſiſtere videtur. Et ire certe vix poterit quis inficias, quin & vera, quodammodo ſint iſthæc, & ſit proinde Medico maximè neceſſaria Medicamentorum cognitio. Verûm cum ea duplex exiſtat, vna, quæ figuram tantùm & ſpeciem ipſorum externam conſiderat & cognoſcit, alia, quæ conditiones in illis ad agendum requiſitas vnà perquirit etiam & percipit: tum, de poſteriori, quæ dicta ſunt intelligi debent, non de priori, quandoquidē is, quem in iſta nonnunquàm ex plebe

plebe quiſpiam, & Idiota, ſuperare poteſt, illa reliquis omnibus ſuperior euadat, & non modò medici nomen mereatur, ac tueatur, verum etiam ab alio quouis, luculenter dignoſcatur. Conditiones iſtas, etſi Galenus, tum alibi, tum loco iam ad Glauconem proximè citato, plures eſſe dicat, eas tamen omnes ad vnam nonnunquam reuocat, & alijs conſultò prętermiſſis, qualitatis ſolius mentionem facit, atque per ipſam ritè rectéque cognitam, Medicum peritum, tum à quouis ex plebe, tum ab alijs quoque medicis, ignauis videlicet & ignaris, apertiſſimè diſtinguit. Hinc 5. ſimpl. 27. compertum (inquit) habere medicamentum, quod aut molliat, aut laxet aut contendat, opus eſt medici, maius quã pro captu hominis plebei, ſciẽtiamque requirit venerabiliorem: & libri de renum affectus dignotione, cap. 5. Qui vult (ait) eſſe peritus medicus, & ratione quæque non temerè agere, circa qualitates effectrices, & operationes

ctiones verſari debet, & in ijs fiduciam ponere, quippe qui ſic habeat calidi & frigidi, humidi & ſicci, effectus, item acerborum, auſterorum, acidorum, dulcium, ſalſorum, amarorum, acrium, & omni qualitate carentium, nec ignoret, quem effectum pręſtent, quę craſſarum ſunt partiũ, quæ tenuium, quæ obſtructiones aperiunt, quæ attrahunt, quæ emplaſtica ſunt, & alia quoque ſigillatim. Acſi diceret, is, qui Medicũ ſe profitetur, & à plebeo quouis, ac medicis vulgaribus, diſcerni morbiſq; recta cũ ratione mederi cupit, fideli memoria tenere debet medicamentorum qualitates: & iſtas qui nouit: tantum abeſt, vt ſit ex vulgo vel aliorum hominum, vel Medicorum, vt ſit Medicus cõſummatiſſimus & numeris omnibus abſolutiſſimus. Vocantur hæ qualitates, aliâs, tũ ab ipſo Galeno, tum ab alijs tam medicis quàm philoſophis, vires, facultates, virtutes, ac agendi poteſtates, quoniam ab ijs actiones ita proficiſcũtur, vt quot

ſunt cuiuſque medicamenti actiones, tot & illius facultates eſſe dicamus. Cum igitur actiones Medicamẽtorũ ferè ſint innumeræ (non enim ſingulis ſingulæ debentur, ſed cuiuis plurimæ, prout, Aloes exemplo, ſatis eleganter oſtendit (Galenus, libri quod animi mores corporis temperamentum ſequantur, cap. 2.) tum inde fit, vt ſint etiam facultates numero, penè dixerim, infinitę, neque-antq; proinde, vel aptè comprehendi, vel arctè memoria cuſtodiri, niſi certa methodo, multitudinem tantam, primùm ad capita, quaſi colonias, redigamus, deinde, quot & quæ ſub quouis capite contineantur, ſicut in colonijs, familiæ, diligenter aduertamus, ac demum, vt in familia quauis non par eſt cuiuſque conditio, ſic in facultate pro maioris minoriſque ratione, gradus ac ordines quoſdam cõſtituamus, & omnia proprijs, vel (vt loquitur Galenus 1. ſimpl. cap. 25.) planis limitibus diſcernentes, definiamus. Et huiuſmodi medicamen-

dicamẽtorum, per facultates sic distin-
ctorum, notitiam, magno labore partã,
si quis sibi familiarem reddiderit, & eã
cæteris Medicinæ partibus quasi perfe-
ctionem supremam addiderit, dici nõ
potest, quàm alacer in medendi thea-
trum prodibit, & quàm, tum processu
facili, tum successu fœlici, morborum
omnium curandorum prouinciã subi-
bit. Nam siue modicè, vehementer, aut
leuiter quicquã agere decreuerit, hinc
intelliget, quid medicamenti sit vsur-
pandum, quod tantam operationem
absoluet, quantam cupit, &, nec maio-
rem, nec minorem: siue casus aliquis
peregrinus acciderit, hinc medicamen-
tum depromere sciet, quod sit ad rem
præsentem oportunum, siue præcipiti
temporis occasione prematur, hinc su-
bitò, citraque deliberationem ac dila-
tionem vllam, id habebit in promptu,
quod iuuet, nec aut vsquàm aut vn-
quàm ad ægrum aliquem sic imparatus
accedet, vt vel morbi nouitate, vel sym-

ptomatis grauitate, terreatur, & ancipiti cura torqueatur, siue cuiusuis palato placere studuerit, hinc auxilium petet, quod odore, sapore, coloreuè; nulli; vel graue futurum sit, vel ingratum, & (vt ait Horatius.)

Omne feret punctum, permiscens vtile dulci.

Quid plura? citò, tutò, iucundè, curationē omnem perficiet, & efficiet, vt nec à ditioribus, pretiosiora, nec à pauperioribus viliora, nec, aut ab his, aut ab illis, pro suarum cuiusque fortunarum ac facultatum tum amplitudine, tum tenuitate, medicaméta quæ latura sunt illis opem, & sanitaté largitura, desiderentur, & hinc demum euadet.

Aequè pauperibus charus,
Locupletibus æquè;

QVAE SIT DE MEDICAMENTIS per facultates distinguendis, & in certas classes distribuendis, Galeni sententia.

CAPVT II.

GAlenus, qui post Hyppocratem, alijs omnibus, quorum in Medicina tractanda tradendaq; viguit vnquàm authoritas, palmam facilè præripit, & iure suo, medicorum reliquorum coryphæus, & antesignanus, dici meretur, cum, propter dictas iam causas, & id genus alias (quas partim in opere de Medicamentorum compositione, partim in curandi methodo, se monstrasse dicit, primo de simpl. med. fac. 1.) videret, quantum conferat, ad rectum Medicamentorum vsum, vt eorum facultates exactè cognoscantur, & suis singulæ carceribus ac cancellis ita contineantur, ac coerceantur, ne possint propter aut multitudinem, parere cõfusionem, aut similitudinem (quam

habent aliæ cum alijs haud exiguam) incautis ac parùm attentis aliquando medicis imponere: tum in libris de simplicium Medicamẽtorum, facultatibus, quos huic negotio cõsecrasse, suo quodam modo videtur, ex industria, rem istam aggressurus, & facultatum nomina, naturas, ac numerũ, traditurus, non alia via, putabat illud se, vel citius, vel certius effecturum, quàm si distinctas operationum differentias in medium adferret. Nec mirum, nã quamuis medicamentum, facultas & operatio, mutua quadam consecutione sibi sic succedant, vt medicamentum facultatem facultas operationem, præcedat, postremumq; propterea locum obtineat operatio, quia tamen operatio cæteris est notior, ideo per operationes, in facultatum, hoc est in causarum, per effecta, cognitionem, ocyssimè, tum se peruenturum ipsum, tum alios perducturum, haud temerè cogitauit. Hinc quoniam medicamenta quædam aduerterat, vel

cale-

calefacere, vel refrigerare, vel humectare, vel ſiccare, vel per cõiugationem horum aliquam facere, ſtatim facultatem aut calefacientem, aut refrigerantem, aut humectantem, aut ſiccantem, aut coniugatam ijs ineſſe, collegit, & has tam operationes, quàm facultates omnes, primas appellauit. Et quia rurſus obſeruârat, alia vel rarefacere, vel condenſare: vel emollire, vel indurare, vel illinere, vel extergere, vel attrahere, vel repellere, vel laxare, vel contendere, vel ora reſerare, vel eadem contrahere, vel incraſſare, vel extenuare, vel dolores ſedare ac ciere, vel per habitũ digerere, vel ſoporẽ conciliare, vel ſtuporẽ accerſere, vel putrefacere, vel vrere, vel erodere, vel cruſtam facere, vel fundere, vel denſare, vel ſuccum prauũ procreare, vel attemperare, vel purgare, vel ſiſtere, vel exaſperare, vel lenire, vel infarcire, vel à farctu liberare: mox facultates operationum iſtarum cauſas, ſingulis, ſingulas, ſic aſſignauit,

vt numero pares, nominibus haud essent dispares, & aliam rarefaciẽtem, aliã condensantem, aliam emollientem, aliam indurantem, aliam aliter & eas simul vniuersas, secundas nominauit. Postea, quoniã alia viderat vlterius procedere, magisque particulares operationes ædere, nimirum, vrinas ciere, vomitus proritare, subducere ventrẽ, ac lubicare, pernares & os purgare, menses vel mouere, vel comprimere, similiter, lac & semen tum generare & extinguere, tum prouocare & reprimere, quodq́ue maius est, hepati, lieni, naribus, oculis, aut his illisue partibus succurrere, pari modo, vel saniem ab vlceribus purgare, vel carnem in ipsis procreare, vel excrescẽtem carnem detrahere, vel inducere cicatricem, vel glutinare, vel id genus aliud agere: propterea facultates, operationibus istis, numero nominibusq́ue respondentes, adinuenit, & hãc diureticam, illam vomitoriam, aliam hepaticam, aliam sarcoticam, esse dicẽs

eas

eas tertias, tandem omnes nuncupauit. Et quoniam experientia demum didicerat, alias ab alijs medicamentis quibuſdam, actiones proferri, venenum videlicet vel infigi, vel infringi, necnō ſuccos è corpore redundantes educi, quarum nulla facultatibus antedictis aſcribi poteſt: proinde, quartum facultatum genus excogitauit, ad quod deleteriam, alexiteriam, purgãtem, & alias, quæ tota ſubſtantia ſuas operationes edunt, facultates, reuocat; Vnde 5. ſimpl. 1. dicit medicamenta quædam alterare tota ſubſtantia, ſicuti complura deleteriorum, ſeu læthalium medicamentorum, nec pauca alexiteriorum, ſeu amuletorum, tum purgantia omnia, ac pleraq́ue eorum, quæ epiſpaſtica, hoc eſt, attrahentia nuncupantur. Hac igitur ratione, Galenus, medicamẽtorum facultates, & recenſendo percurrit, & ad quatuor ſuprema genera contrahẽdo, velut in claſſes quaſdam redigit, nec his contentus generum poſtea ſingulo-

rum, species sigillatim singulas, enarrãdo sic persequitur, vt quibus medicamentis quæ facultates, & qui facultatũ gradus conueniant, hoc est, quæ medicamenta plus, quæ minus facultatibus his aut illis polleant, apertissimè declaret. Quibus ita peractis, methodum, nõ minus breuem & succinctam, quàm dilucidam & exemplorum varietate distinctam, constituisse se putat, qua medicamentorum omnium facultates omnes (particularibus ad pauca quædam capita redactis, vniuersalibus autem in maximè particulares denuò distributis) & addisci facilius, & memoria firmius à quouis retineri possunt. Et eam si quis exactè calluerit, haud credit futurum, vt ignoret, aut quid cuiuis corporis affectioni medicamenti sit opportunissimum, aut qua (pro conditione locorum, temporum, corporum, & aliarum circumstantiarum) tum quantitate, tum forma, liceat, ac deceat, ipsum, vel exhibere, vel adhibere, nõ sine magno,

gno, tam honore suo, quàm ægrotantiũ omnium, qui vitam illi salutemq́; suam commiserunt, emolumento.

QVID, DE MEDICAMENTIS, per facultates, dispescendis, & in ordines disponendis, statuant Medici post Galenum alij.

CAPVT III.

QVI Galeno posteriores, ad ætatem vsque nostram, argumenti genus istud pertractârũt, ipsius ita vestigijs inhæserunt, vt quisquis ijs haud insisteret, toto (quod dici solet) aberrasse cœlo, rectũq; veritatis tramitem deseruisse, putaretur. Verùm, vt in rebus dubijs & ambiguis variæ sunt hominum opiniones, & in diuersas partes deliberantium animi distrahuntur: ita, dum, quę dicta sunt obscurius à Galeno, pro suo quisq; captu capiteq́;, dilucidare cupit, nec tam verba sequi, quàm sensum ac sententiam assequi, conatur,

fit, vt in iſta cogitatione conſultationeque, varijs modis huc illuc agitata, plurimùm à ſe diſſentirent inuicem, atque diſcreparent. Videbit id apertè quicũque ſingulorum libros diligenter euoluerit, & quid de ſupremis facultatum generibus vnuſquiſque ſentiat, attentè conſiderauerit. Conſpiciet enim is, vel non eodem ab omnibus ea numero cõprehendi, vel de rebus ſub hoc aut illo genere contentis, numerique ratione, diſſidentes & diſpares eorum eſſe ſententias. Atque quod de numero non conueniant, quid attinet dicere, cum vt ab alijs duo, ſic ab alijs tria, vel quatuor, ab alijs, nunc plura, nunc pauciora conſtituantur? Quòd autem illi, qui numerum eundem ſtatuunt, vel de rebus cuiuis generi ſubiectis nõ conſentiant, vel, in aſſignanda ratione, cur ille numerus magis admitti debeat, quã alter, valdè differant, in ijs, (vt alios taceam) cõſpicuè cernitur, qui quatuor genericas recipiũt facultatũ iſtarum differen-

tias. Hi namquè, quamuis (cum & præclarius ſentire videanrur, & ad Galeni mentem proprius accedere, quàm alij) plures habeant ſectatores: ſi tamen ab ijs quæras, quæ ſint illæ ſupremæ facultates quatuor, ad quas cæteræ reuocantur? Reſpondebit vnus, primam eam eſſe, quæ potentiam corporis immutãdi naturalem habet, ob aliquam qualitatẽ ex primis, & calorem propterea frigus, humiditatem, aut ſiccitatem inducit, ſecundam, eſſe naturalem potentiam, quam habet medicamentum in humanum corpus inducendi effectum, à quo denominatur, licet ſit in vigore qualitatum primarum, vt ſunt effectus, ad primos primarum, conſequẽtes, veluti, reſoluere, aperire, attrahere, conſtringere, oppilare, vlcerare, conſolidare, & huiuſmodi, tertiam, eſſe potentiam naturalem, qua medicina, magis vnum mẽbrum, quàm aliud, aut vnum locum, quàm alium magis reſpicit, & operatur aliud in illo, quàm in alio, ſic dactylus pulmo-

pulmonem, agaricus pectus, colocynthis caput, magis, quam aliud membrũ respicit, & consimiliter de pluribus alijs dicendum, quartam demum, esse potentiam naturalem, quæ per formam, occultam seu specificam, producit effectum in toto, prout est virtus, v. g. qua medicamentum est solutiuum, & humorum aliter eductiuum, aut veneni quomodocumque expulsiuum, vt virtus, qua medicamentum ventrem soluit, vomitum mouet, vrinam prouocat, sudorem elicit, aut est veneni Bezoar: Respondebit alius primam esse, quæ calefacit refrigerat, humectat, aut resiccat, vel per coniugationem horum aliqua facit, secundam esse, quæ vel emollit, vel indurat &c. tertiam, quæ carnem generat, suppurat, cicatricem, aut callum inducit, quartam, quæ per substantiæ proprietatem operatur, qualis inest medicamentis non tantùm alexiterijs alexipharmacis, & purgantibus, verumetiam illis, quæ corporis humani parti

parti cuipiam vni magis aut obſunt, aut proſunt, quàm alteri: nam medicamenta, quæ magis vnam, quàm aliam partẽ reſpiciunt, pluribus in locis, à Galeno dicũtur, id agere, propter eſſentiæ proprietatem. Reſpõdebit tertius, id quod ex Galeno ſuperius audiuiſti; nec ex immenſa Medicorum multitudine, de numero facultatum iſtarum quaternario conſentientium, pauculos aliquot inuenies, qui quæſtioni propoſitæ ſunt eodem modo reſponſuri. Si ſciſciteris rurſum ab iiſdem, quam ob cauſam facultates in quatuor tantùm & nec plures nec pauciores (vt ita dicam) familias: partiantur? Aderit mox aliquis, qui reſpondeat, facultates medicamentorum oẽs, vel eſſe manifeſtas, vel occultas, ſi ſint manifeſtæ, vel eſſe primas, & ſic propriè vocari, quia per primas elementorum qualitates corpus alterant tantùm & immutant, vel à primis ortas, & ſecundas ideo nominari, quòd profluant ex primis: Si ſunt occultæ,

vel hanc aut illam partem peculiariter, vel vniuersum æquè corpus respicere, quarum priores, tertiam, posteriores, quartam familiam, complent. Respondebit alter, facultates numero debere pares esse qualitatibus, quibus tãquam instrumentis in agendo connituntur, has autem non esse, vel plures, vel pauciores, quàm quatuor: Idem igitur de facultatibus dicendum. Minorem probant, quia qualitates vniuersæ, vel manifestæ sunt, & sensibus obuię, quæ mutuo nexu quodam & ordine sic inter se cohærent, vt tres recenseantur, prima videlicet, secunda, tertia: vel occultæ, quæ sola cognoscuntur (vt varijs in locis docet Galenus) experientia, sensusque iudicium subterfugiunt. Hinc suprema quatuor facultatum genera consurgũt, quorum quod primum est, eas continet, quę per solas qualitates primas, suis muneribus ac munijs faciũt satis, & primæ dicũtur, tum propter eam causam, tum quia sunt reliquarum omniũ (ex-

ceptis

ceptis quartis) bases veluti quædam, ac fundamenta seu firmamenta. Secundũ complectitur eas, quæ primas vel simplices, vel cõiugatas ita sequũtur, vt inter has & illas nõ intercedat alia, quemadmodũ humectanté emolliens, exiccãté indurãs, calefacienté rarefaciés attrahés, attenuãs, aperiens, refrigeranté, incrassans, cõdensans, occludens, repellens, &c. Et licet operationes, quæ proueniunt à facultatibus istis, fiant virtute primarum, quia tamen non sunt ipsarũ primariæ sed secundariæ, propterea secundæ dicuntur, & inde facultatibus, à quibus proferuntur, secundis nomen. Tertium, eas sub se facultates compræhendit, quæ primas simul & secundas ita sequuntur, vt ex ambarum mixtura quodammodò resultent, sicut sarcotica, quæ, quà siccat, ad primas, quà vel astringit, vel deterget, ad secundas refertur, & Bechica, quæ calefaciendo primas, incidendo detergendoq́ue, secundas æmulatur, quod de cęteris etiam est

ſimiliter aſſerendum. Quartum, ſibi ſubiectas habet eas, quæ nec in agendo dependent à primarum qualitatum aliqua, nec ſecundis, aut tertijs ſunt agnatæ, ſed eſſentiæ ſiue ſubſtãtię ſolius propriètate, ſuas actiones abſoluunt. Reſpondebit alius, tot eſſe conſtituendas genericas medicamẽtorum facultates, quot ſunt, morborum, qui per illas tolli debent, genera, quarè cum iſta quatuor tantùm ſint, erũt etiam & illæ totidem, ac nequè plures, nequè pauciores. Eſt enim (inquiunt iſti) primum morborũ genus, intemperies, quæ prout à prima qualitate quapiam excitatur, ſic ab earum aliqua, cõtraria videlicet, ſedatur, & hinc, inter primam morborum differentiam, & medicamentorum facultatem proportio. Secundum morborum genus, eſt, mala compoſitio, cui ſuccurritur, medicamentis aſperantibus, læuigantibus, obſtruentibus, aperientibus, & id genus alijs, quæ proinde ſecũdis facultatibus, prædita dicũtur, quod huic morbo-

morborum generi depellendo, non alteri propriè cōueniant. Tertium morborum genus, est vnitas soluta, quæ requirit agglutinantia, carnem generantia, consolidantia, cicatrizantia, cæteraq́ue, quibus tertiæ facultates inesse dicũtur. Quartum, est morbus totius substantiæ, Cui, quæ per essentiæ proprietatem operantur, hoc est, quarta facultate prędita sunt, debentur medicamẽta. Respondebunt aliter alij, raroq́; reperientur duo vel tres, qui sui consilij rationem eandem reddant.

QVID, DE PRAECEDENTIBVS Medicamentorum, per facultates, partitionibus sentiendum.

CAPVT IV.

VT in re quauis veritas simplex est & vnica, vanitas autẽ multiplex & varia: sic vnitas, veritatis, varietas, vanitatis, indiuidua comes, & certissimum esse solet inditium.

Opinionum igitur in iſta facultatum diuidendarum ratione tantopere diſſentientium varietas tanta, quamuis apud æquos & incorruptos rerum æſtimatores, ſola ſatis eſſet, quę vanam eam magis quàm veram eſſe declararet: quia tamen illa multorum iam animis inſita penitus eſt, & altius infixa, quàm vt tam facilè poterit euelli, conabor breuibus oſtendere, cur improbanda mihi magis ea, quàm laudanda videatur. Et quoniam authoritate magis & exéplo Galeni, quàm rationum momentis, video nonnullos ad eam aſſerendam permotos, indicabo tantum paucis, non vrgebo multis, quædã Galeni loca, quibus perceptis, quanti facienda ſit ipſius diuiſio ſuperius à nobis tradita, nemo nõ intelliget. Ac primùm quidem illud occurrit, quòd ipſemet 5. de ſimp. med. fac. 2. vix dum dictam diuiſionem propoſuerit, cum eam veluti prolixam cõfuſam, & Empiricorum propriam damnaret, & affirmaret, virum potiſſimùm ratio-

rationalem decere magis ſi dicat, hacte-nus calidam hactenus ſiccam, & eate-nus tenuium partium medicamentis his aut illis obueniſſe temperiem: ſicq; tũ omnia quæ ſuperius memorata ſunt, tum longè item plura indicare. Quin alio quoquè modo de ea dixiſſe ſat (in-quit) erit amaram eſſe, ſed non extre-mè, immò ita vt dulcedo quædam ma-nifeſta appareat. Id deinde cuiuis eſt obuium, quòd idem Galenus, quinto de ſimpl. med. fac, primo, decimoter-tio methodi ſexto, ſexto in ſextũ epid. quinto, necnon aliâs ſæpius, dicat me-dicamenta quæuis agere vel per quali-tates ſimplices, vel per totã ſubſtãtiam, ſub qualitatibus ſimplicibus tres prio-res facultatum differentias comprehé-dens, prout manifeſtè magis apparet ex ca. 1. libri 10. de ſimpl. med. fac. vbi do-cet eas omnes ab effectricibus qualita-tibus, quâ vel ſinceræ ſunt, vel miſtæ, vim quam habent omnem in agendo recipere, quod ſi verum eſſe fateamur,

pluresquàm duæ supremæ medicamẽtorũ facultates constitui non poterunt. Quin & interdum substantiam rerum propriam cum earum temperamento cõfundit, vt primo de partiũ vsu nono, proprietatesq́; corporum particulariũ pronuntiat ex elemẽtorum impari mistura contingere, quarto de simpl. med. fac. 15. Cùm igitur teste philosopho, quod dat esse, det etiam operari, quid prohibet, quominus inferat aliquis, ex Galeni sententia quartam quoque facultatem à qualitatibus primis in agendo pendere, quod existimare visus est tum Andernacus, qui quatuor facultatum postremam ait, sicut & tertiam à primis, creari non tamen ilicò, sed maiori naturę conatu, tum Biesius, qui formã substãtialẽ, non solam, sed cum elementorum temperatura coniunctã, affirmat, totius virtutem, quam occultam Medici vocant, producere: sicq́; tãdem efficitur, vnicã tantùm esse supremam medicamentorũ facultatẽ, ad quã, aliæ

non

non poſſunt modò, ſed debent etiã oẽs reuocari. Rurſus, quę propriè pertinẽt ad vnam & eandem facultatẽ, ea Galenus ſic dirimit ac diſtrahit, vt duas inde diſtinctas facultatũ differentias efficiat. Quamuis enim æquè tum à tota ſubſtãtia ſuas functiones obeant, tum experientia ſola iudicentur ea Medicamenta, quæ partem corporis vnã magis vel offendunt vel defendunt, quàm aliam, ac illa, quę vel venenis aduerſantur, vel humorẽ hunc aut illũ trahunt, vt patet ex 6. in 6. Epid. & ca. 4. libri de Theriaca ad Piſonem: Ipſe tamen ad tertiã illa facultatẽ, iſta retulit ad quartam, in quadrimembri ſua diuiſione, quã ab illo factã, iã antea cõmemorauimus. Ac demũ (ne promiſſæ videar breuitatis immemor,) hęc eadẽ medicamẽta, quę totis ſubſtãtijs operãtur, tã vel nihili flocciq; facit, vel parui valdè pẽdit, vt, libri ſui, de renũ affectus dignotione, & medicatione, c. 5. dicat, in ijs nõ magnã ponendã eſſe fiduciã, quia modũ vtilitatis ipſorũ ignoramus (nõ.n. ratione, noſtro tẽpore,

discussa sunt) possuntq́ue, quemadmodum absque comperta manifesta causa iuuarunt, ita vicissim offendere. Qui namq́ue volet præclarus (inquit) esse Medicus, & ratione quæq́ue non temerè agere, circa qualitates effectrices, & operationes debet versari, & in ijs fiduciam ponere. Quibus verbis, vt fidem omnem, medicamentis illis adimendã, istis adhibendam, monet, sic, istorum vtilem, illorum futilem, esse tractationem ostendit, Quod quàm rationi congruum, quàm orationi, quæ sæpius ab ipso de proprietate substãtiæ totius instituitur (de qua, quoniam inde summa proueniret posteris vtilitas, librum se conscripturum bis est pollicitus vndecimo de simpl. med. fac. de carcinis, loquens & de Dracone marino, nisi prius mors ipsum prçueniret, quàm alià quędam opera perficeret) consentaneum, aliorum esto iudicium, nam ego nunc receptui cano, nec ambigo, quin apertè videat vnusquisque Galenum in hac

re tam

re tam esse parum constantem ac stabilem, vt Proteo quouis mutabilior, sibi nonnunquam ipse contradicat. Et quãuis haud ignorem, illum ab inconstantia vindicari, sibiq; citra difficultatem magnam, ab experto quopiam & exercitato medico, conciliari posse: Iuniores nihilominus, & qui sunt adhuc in his castris tyrones (quorum gratia laborem hunc suscipimus) plurimùm interim hærebunt, & ab inuestigatione veri retardabuntur non parùm, & impedientur. Si namque præclarissima præstantissimorum ac peritissimorum virorum ingenia (quamuis diu de desũdarint & temporis ac diligentiæ multum in ipsius libris legendis posuerint) nihil certi firmique potuerunt ex ipsius verbis elicere: qui fieri poterit, vt imperitiores, & ingenio minus valẽtes, aut ipsum rectius intelligant, aut ex ipsius dictis veritatem penitus eruant. Sed de Galeno satis. Ex diuisionibus quas alij tradiderunt, etsi sua cuiquè vi-

deatur optima, nulla tamen tã eſt bona, quæ nõ ab alia ſic, refellitur & redarguitur, vt hãc ſi laudes, illã vituperes ſit neceſſe. Quibus namq; rationibus vna cõfirmatur, iiſdẽ infirmatur altera, nec eſt ex iis vlla, quę per omnia duobus aut tribus ſummùm ęquè placet ac probatur. Innumeræ ferè ſunt de mẽbris diuidẽtibus diſſẽſiones, & ipſi diuiſionũ Architecti variè diſputãt ac diſceptãt quid huius aut illius facultatis nomine ſubaudiatur, vnde nomen, vnde vim & efficaciã quæuis ſortiatur, & quomodo cognoſcatur hac aut illa vi pollere. Vt enim primas ſecundas, ac tertias ſilens præteream (de quibus nemo ſatis adhuc enucleatè diſſeruit, & docuit, cur ita vocentur, vnde ſuã in agẽdo poteſtatẽ acquiſierint, qua demum vi vel via fluxerint, aut proſiluerint ex aliis aliæ) quãtæ De⁹ bone de quartis lites & rixæ, dum inprimis illas aliqui qualitates immanifeſtas & occultas, alij rerum naturas ac ſubſtantias, alij naturarum ſubſtãtiarum ac temperamentorum proprietates, alij
formas

formas & esse volunt, & dici debere cõtendunt, vim rursus ipsarum alij cœlo stellis, ac syderibus, alij primis corporũ elementis, alij formis proprijs, alij formis pariter ac elementis, alij sympathiæ vel antipathiæ, similitudini dissimilitudiniuè, vel id genus alijs tribuendam esse censent, ac vires tandem earum alij per experientiam, solam, alij per signaturas, alij per alia cõmodissimè cognosci posse digladiantur. An etiam per gustum discerni queant, cum Galenus 4. de simp. med. fac. 15. dicat linguę peculiare quid & eximium illud esse, quòd percipiat res omnes iuxta totarum substantiarum tum proprietatem, tum, vt ita dicatur, inquit, alienitatem, alijs relinquo discutiendum. Inter tam diuersas & aduersas omnino sententias, nec re minus ipsa, quàm verbis pugnantes quid habebit firmi Medicinæ studiosus, quod sequatur, aut exactè iudicabit cui vel assentire debeat, vel resistere? Quid? sunt etiam nonnulla

quæ

quæ diuiſionibus iſtis inſeruntur, aut quibus aſſeruntur, ſaltem ac probãtur, falſa, ficta, fucata, prout illud eſt ex multis vnum, quo dicitur, ideo dari quartũ medicamẽtorũ à totis videlicet ſubſtãtijs, agentium genus, quia datur quartũ morbi genus, quod eſt tota ſubſtantia corporibus infeſtum & infenſum: cum tamen nec Galenus admittat, nec veritas permittat, vt plures morborum differẽtias, quàm tres, intemperiem nimirum, malam compoſitionem, & ſolutam vnitatẽ, agnoſcamus. Quarè, cum prædictæ diuiſiones omnes vel dubiæ ſint & incertæ, vel difficiles & obſcuræ, vel falſis & erroneis fundamentis innixæ, cumq́ue (quod ait Syluius ſecundo de medicamentorum componendorum ratione) permulta medicamenta ſint, quorum facultas tertia parùm cognita eſt, plurimorum, quarta adhuc omnino incognita, cognoſcenda, quibus, quando, quãtum deus voluerit, vt Auenzoar (inquit) bene dicebat: tum haud

haud equidem video, quid possit is qui rectam sibi medendi methodum comparare cupit, ex ijs excerpere, quod exploratè percipiat, solidè constituat, cõstanter defendat, & confidenter tandẽ ad artis opus ac vsum accommodet. Est igitur, mea quidem sententia, modus iste diuidendi medicamenta per facultates, si non abijciendus planè repudiandusque, rudioribus certè nec obijciendus, & obtrudendus, nec importunius aut commemorandus aut inculcãdus. Nam illi tam firmas cogitationes non habent, vt rerũ momenta suis quæque ponderibus librent, & examinent, sed ex tempore cõsilium capientes, cæco mentis impetu veluti turbine quodam abripiuntur, & veritatis vmbram ac speciem properè magis quàm prudenter insequẽtes, in profundissimum errorum pelagus feruntur, vbi vel authoritatum tempestatibus ad scopulos transuersim acti, vel opinionum fluctibus obruti prorsus, &, nisi propitium

ali-

aliquod numen experiantur, demersi rem simul omnem ac spem amittentes graue (proh dolor) temporis, laborum ac fortunarum dispendium, & quoddã quasi naufragium miserè patiuntur.

AN VLLA MAGIS EXPEDITA videatur Medicamentorum in classes distribuendorum ratio, quæ sit ea, cur nobis, magis quàm aliæ, placeat, cur ea Galenus vsus non sit, & quæ sit agendorum series, quis ordo.

CAPVT V.

SED videbor fortasse cuipiã, nec immeritò, falsa fictaq; commiseratione duci, temereque de propositis medicamentorũ per facultates in classes distributionibus conqueri, nisi quomodo cõmodius possint, ac debeant aliter in classes diuidi docuero. Quare danda nunc erit opera, ne detur calumniæ locus, vt quam ego puté magis aptam & idoneam medicamentorũ in classes dispescendorũ rationem bre-

uibus

ſibus aperiam. Atq; ne longius abeam, ut legentiũ animos cogitando diutius ſuſpenſos teneam id ego liberè libẽterquè faciam, ſi prius quædam ſuppoſuero, quæ ſunt ab omnibus tũ Medicis tũ Philoſophis vbique decantata necnon Galeni teſtimonijs cõfirmata. Primum eſt, non aliunde deſumẽdas eſſe rei cuiuſque differentias, quàm ex ipſius definitione, dicit enim Galenus, primo meth. 3. non poſſe quempiam ſpecificas rei differentias inuenire, qui definitione prius eam ad vnguem non circũſcripſerit. Secundum eſt, quòd Medicamentum, vt ab Alimento, diſtinguatur, definiendum ſit, id omne quod naturam noſtrã alterare poteſt 1. de ſimpl. med. fac. 1. Tertium eſt, quòd vt medicamentum à veneno ſeparetur, per alterationem, ea mutatio ſit intelligenda, qua ſic corpus alteratur vt adiumentum & emolumentum inde percipiat, veluti tum ratio dictat tum communis loquendi ſentiendique

modus

modus commonſtratur. Quartum eſt, Quòd Idem alterationis vocabulum non tantùm vſurpetur preſſè proprieq́ue, pro ſola videlicet ea motus ſpecie quæ terminatur ad qualitatem denotãda, verumetiam pateat nonnunquam latius, & accipi ſoleat pro quouis motu, quemcumque demum terminum habeat, & actione quauis, quo pacto Galenus alterationem hanc à medicamentis factam, per actionem exprimit, & actionem per motum definit, ac primo de fac. nat. octauo dicit & generationem & aſſimilationem ad alterationem pertinere. Nihil enim frequẽtius, in libris, qui de ſimplicium medicamentorum facultatibus inſcribuntur, quàm quòd alteratio medicamẽtorum, per actionẽ exprimatur, & paſſim apud ipſum reperitur etiam actio definita per motũ, nunc actiuum, primo meth. ſexto, primo de fac. nat. ſecundo, nunc agentem, capite primo libri de motu muſculorũ manifeſto & obſcuro, nunc factiuum,

1. de locis aff. 1. nunc agẽtis, libri de symptomatum diff. cap. 1.

His ita constitutis, sum in ea quidem sententia, quod quemadmodum à philosophis motus in genere distribuitur in quatuor supremas differentias ratione terminorum ad quos tẽdit: sic à medicis medicamentorum motus (dum enim agunt medicamenta necessariò mouentur) possit pariter ab ijsdem terminis in species deduci, quatenus nimirum aliquorum actio seu motus ad substantiam, aliorum ad quantitatem, aliorum ad qualitatem, & aliorum demum (vt cum philosophantium scholis loquar) ad vbi terminatur, qua ratione quatuor dicentur supremæ medicamẽtorum classes ad quas omnia medicamenta reuocari queunt, & quæ rursus in alias atque alias inferiores (prout ex propria cuiusque tractatione manifestum euadet) dispesci possunt. Et hanc ego diuidendorum medicamentorum formam, vt non minus commodam

quàm ſuperiores, ita Medicinæ tyronibus magis conuenientem eſſe reor. Quòd non ſit minus commoda, patet, quoniam & ab ipſa medicamenti ratione formali procedit, & in colonias ac familias medicamēta longè lateq; ſparſa ſatis aptè colligit, & morborū diuiſioni tam appoſitè reſpondet, vt morbo cognito, non poſſit non ſtatim occurrere medicamentum, quod ipſi pellendo ſit cōgruum. Cum enim quicquid præter naturā eſt vel ſubſtantia, vel quantitate, vel qualitate, vel loco peccet, ſitq́ue reducendū ad ſtatum naturalem per contraria, mutato ſcilicet in cōtrarium, hoc eſt, ad id quod eſt ſecundum naturam, eorum quolibet, per medicamēta, quæ, ſubſtantiam, quantitatem, ac qualitatem, vel excedentem detrahunt vel deficientem addunt, & ex vno loco rem quampiam in aliam trāſferunt: tū quis nō videt commodiſſimam eam eſſe diuiſionem qua diſtribuūtur medicamēta per motū ad eadem genera, per quæ

factus

factus fuit recessus à statu naturali quãdoquidẽ cognito recessu, statim hinc appareat, quo modo moliri debeamus reditũ nõ tantũ in genere verùm etiam in specie secũdũ omnẽ maioris minorisq; differentiã quæ requiritur? Quam enim obseruamus in recessu latitudinẽ, eandẽ etiam cernimus in efficacia medicamẽtorũ quę reducũt morbũ ad eos terminos, quos excessit, & quibus sanitas circumscribitur, & ita cõtraria cõtrarijs medicamẽta morbis opponimus in eatũ portione tũ proportione qua medicamẽtũ aduersę rei debitè respondet ac nec validius nec debilius in ipsã fertur, quàm est necessariũ, q, quantũ ad morborũ curationẽ cõducat nemo tã est ignarus qui nõ intelligit. Hyppocrates certè cõmodiorẽ diuidẽdorũ medicamẽtorũ & eorũ in classes distribuẽdorum viã nõ agnouit ac eam propterea triuit, tum alibi, tũ li. 6. de morb. vulg. sect. 2. dicẽs. Dilatare, cõstringere, alia quidẽ, alia verò nõ. Succos hos q dẽ expellere,

alios verò exiccare, illos autem addere, ac partim quidem sic, partim verò non. Extenuare, crassum facere, corpus, cutim, carnes & alia & hæc quidem, ea verò non. Complanare, vel læuigare, exasperare, obdurare, mollire, alia quidẽ, aliqua non, excitare, stupefacere, & alia quęcumq; huiusmodi sunt. Deriuare, cedẽtia retrahere statim, renitentibus cedere, alium humorem non prodeuntem ducere, prodeuntem verò simul effundere, facere simile, vt dolor dolorem sedat, dissimilia, si vergant sursum elata, per inferna soluere, & contraria itidem, vt capitis purgatio, venæ sectio, quando non temerè detrahitur. Quod quid est aliud oro quam si diceret, Medicamenta diuidenda non sunt in laxãtia tantùm & astringentia, (prout Methodici volebant qui morbos omnes vel in astrictione, vel in laxitate consistere putabant) sed per terminos, quos acquirunt in motu, (quatenus videlicet aliqua substantiam quæ per succos intelli-

telligitur) vel absumunt vel apponunt, alia molem vel corporis vniuersi, vel aliquarum ipsius partium aut tenuiorem aut crassiorem reddunt, alia qualitatem hanc aut illam emendant, alia materiã demum deriuant, reuellunt, & in alium atque alium locum aut trahunt aut trãsmittunt) sic distingui debent, vt in quo genere factus est à naturali statu, recessus, per morbum, statim reperiatur Medicamentum, per quod ad naturalem statum in eodem genere fiat reditus? Quemadmodum enim, in quocunque genere sanitas consistit, in eodem, si à modo deflectat, consistit morbus, ita morbus in quocumq; genere consistit, per medicamẽtum, quod ipsum in eodem genere sanitatem versus, motu cõtrario reflecti reuoluiq; facit, debellandus paulatim est ac depellendus, si rectã morborum curationem instituere velimus. Et hinc dixit Hyppocrates, contraria curari contrarijs, hoc est, morbos à sanitate deflectentes, medicamentis,

quæ contrarium motum moliuntur, ad sanitatem denuo retorqueri debere.

Quòd Medicinę Tyronibus magis cõueniat hæc medicamẽtorum in classes distributio quàm priores inde declaratur, quòd cum nemo debeat ad Medicinæ studiũ prius accedere, quàm sit philosophiæ præceptionibus non leuiter modò tinctus sed & penitus etiam imbutus: tum haud futurus sit illi diuisionis modus iste, vel nouus vel ignotus, ac proinde neq; difficilis qui vel intelligatur ab ipso vel memoriæ mãdetur. Quînamq; fieri potest vt ille qui iam ex philosophia didicit, & quid, & quotuplex sit motus, & vnde distinguatur in diuersas species, & quæ sit singularum specierum ratio, nihilq; non exploratum habet, quod à philosophis de motu grauiter & eruditè decretum est, non statim percipiat, quid de medicamẽtorũ motu, sentiendum sit ac statuendũ, hoc est, quæ debeat illius esse tũ definitio tũ diuisio quæ terminorũ & specierũ ratio,

quo demùm pacto, per ipſum, medica-
méta poſſint in claſſes deduci, dicique,
quòd ſubſtantiam aut generent aut cor
rũpant; quantitaté aut augeant, aut di-
minuant, qualitatem aut intendant aut
remittant, materiam in corpore cõten-
tam aut ex eo penitus deturbent, aut ex
ipſius vna parte ſaltem in aliam vel re-
uellant vel repellant? Neq; verò quic-
quam hic illi tam aut obſcurũ, aut am-
biguum aut arduum occurret, quod ab
eo facillimè nequeat diſcuti, diſſolui, di
lui: quandoquidem quæ de motu dicta
ſunt à philoſophis in genere, paruo ne-
gotio queant ad Medicamentorum
motũ, accommodari, nec plus deſide-
retur hic laboris, quàm vt vniuerſalia
particularibus applicentur. Et hoc eſt ꝗ,
& Ariſtoteles ait, & à vulgo iactatur, in-
cipere debere Medicũ, vbi deſinit phi-
loſophus, hoc eſt, quæ dicta ſunt philo-
ſophis vniuersè, debere medicũ, ad mi-
nꝰ vniuerſa rationabiliter cõtrahere nec
à philoſophorũ, vel definiẽdi, vel diui-
dẽdi modis priꝰ diſcedere, q̃ deſiderẽtur

in philoſophia, quæ Medicinæ poſſunt non inutiliter inſeri. Quare, cum, iſta diuiſio ſolidis veræ philoſophiæ fundamentis nitatur, & illi qui philoſophiam probè callet, familiaris ſit ac facilis, & huic negotio non male conueniat, tum haud video, cur admitti non debeat, immò cur antedictis, quæ plurimis inuolutæ difficultatibus, ei; quem tyronem medicinę conſtituimus, inauditæ ſunt, ac parum aut nihil habent cũ Philoſophia vel conſortij, vel commercij, præferri non poſſit.

Ne verò Galenus eam amplexaretur id arbitror in cauſa fuiſſe, quia, nimirũ aduertit, quòd quamuis ex ipſa planè pleneq; quis cognoſceret, medicamentorũ in certas claſſes diſtributionem & quò, quoduis eorum, ratione termini quem acquirit, referendum eſſet, non tamen inde poterit cognoſcere, cur hũc terminum acquirant aliqua, cur alium alia. Putabat enim, eos, qui medicamẽta dicunt hoc aut illud præſtare, debere ſimul

simul ostendere cur hoc aut illud præstent. Hinc Dioscoridem, Apollonium, Archigenem, & alios non rarò redarguit, quod nudas Medicamentorum operationes ostentent & huic vnum, aliud alteri munus ascribãt, per quid autem eorum quoduis suo muneri satisfaciat, haud ostendant. Cùm igitur existimaret Galenus ex ea quam ipse tradidit medicamẽtorum, per facultates, in classes distributione, non tantùm medicamentorum omnium operationes, sed & operationum etiam causas simul omnes innotescere : tum illam potius ab eo proponendam esse duxit, quam aliam quamcumque, quæ medicamentorum in classes ex operationibus dispescendorum modum doceret, cur autem ab his aut illis medicamentis, hæ vel illæ prodeant actiones, haud diceret. Et est sanè verum quòd operæ foret pretium, vt ij, qui medicamentis, has aut illas operationes tribuunt, edendarum etiam operationum causas tra-

derent. Sed, vt id, factu, nec eſt omnino neceſſariũ, nec facile, prout ab alijs, qui Dioſcoridem à Galeni calumnijs vindicârunt, abundè declaratum exiſtit: ita neque fecit Galenus, in ijs, quos facultatibus medicamentorum ſimplicium enarrandis, ex induſtria conſecrauit, & huic vni rei quodammodo deſtinauit, libris, prout ſuis poſtea locis quibuſdã fuſius declarabitur. Interea nos ad inſtitutam à nobis Oeconomiam accedemus, & incipientes ab ijs medicamentis quorum motus & actio terminatur ad ſubſtantiam, oſtendemus quotuplicia ſint, ea, quæ ſit ſingularum ſpecierum notio natura poteſtas ac materia: facturi ſimiliter de medicamentis cæteris, quæ ſuo motu vel actione feruntur ad aliorum generum quoduis. Quibus abſolutis nihil ſpero deſideratum iri, quod ad delectum medicamentorum, cuiuis ægritudini quocunq; vel tempore, vel loco, deſeruientium, requiri poſſe quoquomodo videbitur. Verùm quoniam

medi-

medicamentorum quę substantiam respiciunt aliqua conseruant, alia generant ipsam aut corrumpunt, & est cõseruatio cæteris in medicina potior Galeno teste primo, de tuenda valetudine 1. generatio verò secundum vulgarem omnium opinionem corruptione præstantior, ideo primo loco, dicam de medicamentis substantiam conseruãtibus, secundo, de generantibus, ac tertio demum & vltimo, de corrumpentibus. Et rursus quoniã quæ generatur aut corrumpitur substantia, duplex est, continens videlicet, & contenta, continensq; (natura saltem) prior est, quàm cõtenta propterea post considerationem eorũ, quæ substantiam conseruant, dicam de medicamentis, ijs primùm, quæ, partes continentes, illis deinde, quę contentas generant, eundem seruaturus, in medicamentis quę substantiam corrumpunt pertractandis ordinem.

DE MEDICAMENTIS SVBSTANtiam conſeruantibus.

CAPVT VI.

PEr ſubſtantiam hic intelligimus ipſam (vt cum Galeno, ſeptimo de decretis, primo loquamur) vniuerſi corporis & partium ipſius ſingularum eſſentiam, ac optimam vniuſcuiuſque naturæ perfectionem: quam conſeruari, confortari, conformari, cōfirmari, corroborarique tunc dicimus, quando talem eam vel cuſtodimus, vel efficimus, vt validè ſecundùm naturam agat. Vnde Galenus, libri de optima ſecta ad Thraſybulum, cap. 52. contra methodicos docens, quonam pacto firmitatem hominis ac robur dijudicare quis debeat, dicit, hominum firmitatem æſtimandam eſſe, non vt in lapide, ferro, ac ligno, id genuſq́; alijs, duritie ac mollitudine, ſed eo, quod corpora, ſua ipſorum munia expeditè obire valeant. Itaque qui ipſis (inquit) firmi-

tem comparare voluerit, minimè quî
urũ corpus reddatur, cogitet, ſed qua
atione, membrorum vires augeſcant,
t ipſa liberè, ac ſine impedimẽto pro-
rios vſus exhibeant. Hoc rurſus quo-
nodò fieri poſſit, declarat vndecimo
nethodi tertio dicens, quoniam verò
irium ſubſtantia, tum ex ſpiritu, tum
x carnoſa ſpecie, tum ſolidis ipſis com-
letur, ex ijs, quæ ſimilia ſunt, moliri
uam cuique cuſtodiam conueniet. Ex
quibus Galeni dictis ſatis manifeſtè col-
igitur, quòd quamuis ſubſtantia viriũ,
hoc eſt agẽdi poteſtas omnis, in anima
ita ſit, ab ea tamen actio proferri ne-
queat, niſi per hæc tria, quæ ſic eam de-
terminant, vt, & agat, & nunc validiùs
nunc debiliùs. Cum enim anima, non
in toto tantùm corpore, ſed & in parte
corporis qualibet, tota ſit, vnâ cum o-
mnibus & ſingulis ipſius facultatibus, &
hinc etiam indifferens ad actiones om-
nes, in quauis parte proferendas; cumq́;
ſemper, ex ſe, ſtatum eundem retineat,
mura-

mutationis ac alterationis omnis expers: tum horum trium interuentu, prout illa diuersa sunt, in diuersis partibus diuersas inolitur in diuersis pariter partibus operationes, easque nunc firmas nunc infirmas, prout illa vel firma sunt vel infirma. Quo fit, vt si velimus actiones produci naturæ conuenientes ac robustas, impedimenta remouere nos oporteat, quæ consistunt in his tribus, & faciunt, vt actio quæuis minus expeditè libereque proferatur, quod vbi fecerimus, non iniuria virium substantiam confirmasse dicemur. Vt igitur medicamentorum eorum, quę substantiam conseruant, differentias constituamus, esset quidem necessarium, vt, quæ, singulis trium illorum accidere, solent, vitia, quibusque singula remedijs tollantur, exponeremus. Verùm id si facere vellemus, deberemus equidem vniuersam medendi methodum in hunc vnum locum, tanquàm in aceruum quendam ac cumulum conijcere,

ere, quandoquidem nihil ſit ad cura-
onem omnẽ requiſitum quod ad ho-
um aliquod in ſuo ſtatu naturali reti-
endum, & ab iniurijs vindicandũ non
onducat. Etenim, vt à ſpiritu ſumamus
nitiũ. Is, quâ peccare poteſt, caliditate,
efrigerãs, frigiditate, calefaciẽs, craſſi-
ie, tenuans, tenuitate, denſans, vi de-
eteria, venenis obſiſtẽs, copia, minuẽs,
nopia, reparãs, motu, ſublato, ventilãs
x aperiens, deprauato, coercens, ad ex-
eriora tendẽte, repellens, ad interiora
vergente repellẽs, auxiliũ expoſcit. Car
noſæ dein partes, quatenus nutriuntur,
grandeſcũt, gracileſcũt, alterãtur, ſubſtã
iam acquirunt magis aut laxam, aut cõ-
pactam, & alijs modis vitiari queunt, va-
rijs etiam remediorum generibus, & ijs
quidem haud ijſdem, quæ ſpiritibus de-
bentur, indigẽt. Quibus omnibus ſi cõ-
numerentur, illa, quæ partium ſolidarũ
figuram, compoſitionẽ, magnitudinẽ,
multitudinẽ, vnitatẽ temperamentũ, &
id genus alia tuẽtur, quid oro, nõ dicam
medi-

medicamentoſi, ſed vel alimentoſi, vel chyrurgici præſidij deſiderabitur? Atqui certè qui vult hæc tria, quibus ex dicta iam Galeni ſententia, virium ſubſtantia completur, conſeruare, debet indicationibus his omnibus poſſe ſatisfacere, nec tantùm ſcire, quibus remedijs ipſis fiat ſatis, verumetiam, animo ſaltē ac cogitatione, paratas habere remedio rum omnium, quæ ſuis cuiuſque vitijs oportuna ſunt, materias, quarum cum quædam ex diæta, quædam ex chyrurgia, quædam ex pharmacia petantur, tum eas omnes hic recenſere, ſingulisq; noxis ſingulas aſſignare, nihil aliud eſſet, quàm totam hic etiam medendi rationem, quæ tribus iſtis continetur, deſcribere. Quarè, quamuis ad magis diſtinctam modorum, quibus ſubſtantia conſeruatur, notitiam, & ad Galeni mētem fuſius declarandam, hæc altius fuere repetenda, quia tamen eorum multa, non ita peculiariter illi conſeruandæ ſed alijs vſibus magis deſeruiunt, alijſq;

pro-

propterea locis à nobis diligenter examinanda ſunt, ideo ſatis in præſentiarum erit, ſi, quæ vulgo roborare dicuntur, hic & enumeremus &, quam habeãt illa naturam, enarremus. Interim nihilominus admonemus, vt vnuſquiſque, quando virium debilitati ſubueniendũ erit, rationem habeat cauſæ debilitatẽ facientis, eaque præſidia ſolers ſeligat quæ cauſæ ſunt contraria, nec eorum vel quouis, vel aliquo quopiam ſolo (quodcunq; demum illud ſit) remediorum genere, cuique debilitati putet occurrendum, cum & fieri nequeat, vt, vel quodlibet agat in quodlibet, vel vnum, pluribus per ſe ſit aduerſum, & vſus cõmonſtret, ſuum cuiuis malo remedium accommodari debere. Sunt autem, quę propriè viriũ ſubſtantiam confirmant, & à vulgo corroborantia nominantur, medicamẽta, duplicia, quorum aliqua, corpus vniuerſum, alia partem corporis hanc aut illam confortant. Prioris generis ſunt Mithridatium & Theriaca

dequibus illuſtre Galeni teſtimonium capit. 16.libri de Theriaca ad Piſonem, hac verborum ſerie comprehenſum habetur. Conſulo tibi, Piſo, vt frequenter, etiam ſanus, Theriacam ſumas, vt exterius occurrentibus noxis corpus tuum reſiſtat, &, ſi quando paſſum aliquid fuerit, ad ſanitatem facilè reducatur. Nam Theriaca optimam quandam temperaturam corporibus procurat & in eis bonam valetudinem conſeruat. abſumit enim humores ſuperfluos, calefacit membra refrigerata, corroborat naturalem virtutem, vt debitas actiones exercere queat. Nam quando fortis natura fuerit, tunc & venter expeditè cibos cõcoquit, & venæ ſanguinẽ facilè producunt, & iecur promptè bilẽ ſecernit: atq; ita defœcatum ſanguinẽ cor ſuſcipiẽs, ipſum deinceps vniuerſo corpori nutriendo idoneũ, ſubmittit. Excrementa quoq; moderatè foras eadem expellit, & quę corpori ſuperflua ſunt mẽbrorum omnium reſpiratione ſalubriter ex-

ter excernit. Maximè verò consulerem, vt antidotum assumeres, cum frigente per hyemem aere, iter aliquod suscipis, erit enim tãquàm optimum visceribus indumẽtum, multum eis calorem præbere cũ possit. Compertum adhuc nobis est, theriacam & ad animi prudentiam, & ad ingenij acumen haud parum conducere, quandoquidem & sensus actiones suas fortiter obire faciat & mentem à vaporibus corporis liberando, solertem magis reddat. Verùm vt summatim laudes huius antidoti complectar, totum corpus ita disponit, vt ab vlla re noxia non corrumpatur. Hanc autem resistentiam procreat, tam varia & efficax medicinarum compositio, & præsertim, quæ in ipsam ingrediuntur, viperæ. Nam & Mithridatem illum bellatorem magnum ferunt non assumpta Theriaca, quæ nondũ erat, sed alia quapiã multiformi antidoto, Mithridatica, de illius nomine dicta, nõ potuisse sumpto veneno mori, quoniã sic illiꝰ mẽbra

temperauerat, vt ab re noxia pati non posset. Hoc autem cõtigit, quo tempore bellum cum Romanis gerens, à Pompeio profligatus, atque in extrema fortuna constitutus, illæsus è vita decedere festinaret. Hausit itaque venenum, & plus etiam quàm satis esset ebibit, nec tamẽ ipse mori potuit: filias verò ipsius, quæ cum patre vitam finire prorsus decreuerant, atque ideo ex eodem quoq; veneno hauserant, celeriter occubuisse tradunt. Mithridates igitur, cum mori tardaret, eo quòd antidotus, quam præsumpserat, venenum redderet irritum, vnum ex amicis suis nomine Bistoacum vocauit, cui mandauit, vt se iugularet. Is autem opus veneni ferro absoluens, Mithridatem violenta morte confecit: Posterioris generis ea sunt, quæ denominationem sortiũtur à partibus, quas tueri dicũtur, cephalica, cordialia, iecoraria, sic dicta, quòd capitis, cordis, iecoris vim ac naturam conseruẽt. Et Cephalica quidem sunt, Acorus,

Ambra, Basilicon, Betonica, calamentha, Chamæmelum, Carpobalsamum, cubebæ, enula, fæniculum, folium, hyssopus, laudanum, laurus, lignum aloes, lilium, tum album, tum conuallium vocatum, Maiorana, malua, moschus, nux moschata, Pæonia, pulegium, Rosmarinus, Ruta, saluia, saturegia, spica, Stæchas, Acetum, Barba Iouis, camphora, cucumis, cucurbita, hyoscyamus, lactuca, Mandragora, Myrtus, papauer, portulaca, rosa, salix, santalum, solatrum, viola, quæq́; vel eliciũtur, vel parãtur ex istis, aquæ, succi, decoctiones, olea, conseruæ, condita, syrupi, cõfectiones, & id genus alia: quod idẽ obseruari debet in alijs, quæ partes cæteras confirmare dicuntur, medicamentis: sic enim composita simul cum simplicibus, in suas classes, eodem opere, digerentur.

Pectoralia sunt Agaricus, Amygdalę, Althæa, Aristolochia, Arum, capillus veneris, chamæpitis, Enula, ficus, fænugręcum, glycirrhiza, hyssopus, Iris, Mar-

rubium, Scabiosa, scilla, Tragacãthum, Amylium, Iuiubæ; Sebesten, violæ. Cordi conueniunt Agallochus, Ambra, behen, Borrago, buglossa, Cardamomum, cynamomum, cortex citri, Crocus, Doronicum, Galanga, Garyophyllatum, Garyophylli, Melissa, mentha, Mosch⁹, Os de corde cerui, Polium montanum, Zedoaria, Acetosa, argentũ, aurũ, camphora, charabe, corallium, fragmenta lapidum pretiosorum, lapides pretiosi, pomaodorifera, rosę, santalum, spodiũ, terra sigillata, violæ. Iecori consecrata sunt Absynthium, Acorus, Adianthum, Ammi, Anisum, Asarum, Capillus veneris, & herbæ capillares dictæ, Carũ, chamædris, chamæpitis, costus, cuscutha, Eupatorium, Fœniculum, gentiana Scænanthum, Spica: Acetum, Berberis, cichoreum, hepatica, lactuca, portulaca, quatuor sem. frig. ma. rosa, santali, solamum, spodium, violæ.

Lieni conducunt Agnus castus, Ammoniacũ, Amygdalę amaræ, Borrago, Buglos-

Buglossa, Bdellium, Calamentha, calamus aromaticus, Cappares, Castoreũ, Chalybs, Ciclamẽ, Epithymus, fraxin⁹, fumaria, genista, Lupulus, nasturtium, Radices aperientes dictæ, Rubia, Ruta, Scilla, Scolopendrium, Tamarix, thym⁹, &alia quæ Iecori prodesse diximus.

Ventriculo competunt, Absynthiũ, amomũ, anisum, baccæ Iuniperi, cyminum, fæniculum, galanga, garyphylli: Gentiana, Maiorana, Marrubium, mastix, melissa, saluia, sisymbrium, Zinziber: Acacia, balaustium, cerasa, coralliũ cydonium, lapatium, Mespila, myrtus, Plantago, pyrarosæ, sorba.

Renes roborant Abrotanum, Acorus, Bardana, cicer, cubebæ, Daucus, Eruca, grana Iuniperi, ligusticum, lithospermon, nuclei pinei, penthaphillon, petroselinum Macedonicum, pimpinella, saxifragia, Spica tum Celtica, tum Nardi: Endiuia, papauer album, plantago, portulaca, virga Pastoris.

Vtero sunt vtilia, Artemisia, asadulcis,

calamus aromaticus, cynamonum, garyophylli, Meum, Myrrha, nux moſchata, Opopanacum, Origanum, pulegiũ, Rubia tinctorum, ruta, Sabina, Saluia. Serapinum, ſpica, ſquinanthum, Valeriana, Endiuia, Nenuphar, roſæ.

Iuncturis proſunt, Ammoniacum, Aſarum, Calamentha, chamæmilla, caſtoreum, Enula, Euphorbium, hermodactylus, hypericon, Iua arthritica, naſturtium, Origanum, Raphanus, ruta, Serapinum, ſinapi, Bolus Armenus, Lactuca, Myrtus, pſyllium, ſemperuiuum, ſolanum.

Et hæc ſunt Medicamenta, quæ partibus ſaltem principalioribus & ad vitam bene degendam magis neceſſarijs, robur peculiariter addere dicuntur, de quibus duo quæri ſolent, & à nobis explicari debent. Vnum eſt, quid ſibi velint Medici, quando dicunt quòd hæc aut illa Medicamenta partem hanc aut illam reſpiciant ac roborent? Cui quæſtioni facile fiet ſatis, ſi dicamus primo, quòd

quòd Medicamentum, partis alicuius proprium, non congruat omnibus eiusdem partis affectionibus, immò tãtum abest vt semper prosit, vt nonnunquàm obsit, parti, si præsertim citra methodum vsurpetur, & effectui, quem tollere deberet, simile potius quàm dissimile, præscribatur, quo fit, vt malum non tantùm non auferatur, verũetiam, contra medendi legem, augeatur. secundò, quòd medicamenta quæ dicuntur vnã partem iuuare, possint etiam alijs opitulari, neque propterea sint partibus alijs inutilia quoniam huic aut illi sunt vtilia, fieri namq; potest, vt quæ cephalica sunt & appellãtur, ventriculo quoque conducant, & è diuerso, siue calida sint illa, siue frigida, quod idem de cæteris pronunciandum. tertiò, quòd medicamenta quæ nomen ab aliqua parte mutuantur, in ea parte, quam nomine designant, sæpissimè simul ac potissimè prodesse conspiciãtur. Etenim opthalmicis vti quidem licet medicamentis,

aut ad aures affectas, aut os, aut nares præterea pudendum & anum, verùm non ita frequenter nec tanto cum fructu, ac ad oculos à quibus acceperunt denominationem vt ait Gal. 5. simp. 24. Alterum est, per quid, in hac, vel illa parte, suam potius exerit & exercet operationem, qua scilicet conseruare dicitur, medicamentum aliquod, quàm in alia? Cui quæstioni quia re duplex est, quantumuis verbis videtur simplex, vnica responsione, commodè fieri nequit satis. Quæritur enim primùm, quoniam approximatio, tanquam causa sine qua non, requiritur ad actionem physicam, vndenam fiat, vt hoc medicamentum ad vnam partem festinet & propinquet (vt ita dicam) magis quàm ad aliam? Quęritur deinde, cum ad partem destinatam accesserit, qua vi proferat eam actionem, qua parti potius isti quàm alteri prodesse creditur: Ad priorem igitur quæstionem aliter responderi non potest, quàm sapientissimum rerum omnium

omnium creatorem Deum, talem ijs indidisse naturam, quam mirari possumus, in qua verò re consistat, rimari non valemus, veluti colligitur ex varijs Galeni testimonijs. Ad posteriorem non respondent eodem omnes modo, nam quidam occulta tantùm, quidam tantùm manifesta, quidam vtraque vi, dicunt hæc aut illa Medicamenta, parti, vel vni vel alteri magis subuenire. Qui primam tuentur sententiam, Id, inquiunt, occulta vi dicimus operari, cuius effectum quidem videmus, cur autem inde prodeat is effectus, ignoramus : Atqui certè corroborari videmus has aut illas partes, à medicamentis, quæ denominantur ab ipsis, cur autem id fiat, nisi vel sympathiam, vel proprietatem substantiæ seu temperaturæ, vel id genus aliud adferamus, penitus ignoratur, (sunt autem hæc omnia nobis ignotissima) vis igitur ea, qua partes hæ vel illæ corroborantur, ab his aut

illis medicamẽtis, magis, quàm ab alijs, incognita nobis eſt. & occulta. Rurſus, quæ qualitatibus manifeſtis operantur medicamenta, partes omnes æquè reſpiciunt, & ratione quadam indeterminata, qua qualitatibus illis agendo nituntur, cunctis æquè tum proſunt, tum obſunt, vt igitur huic aut illi parti magis propriè ſuccurrãt, opus eſt, vt ab aliquo limitentur ac determinentur, id autem quicquid ſit, nos latet, & propterea dicitur à nobis occulta qualitas, ſeu proprietas abſtruſa, reſpondens proprietati ſubſtantię partis illius, quam conſeruare dicimus Medicamentum hoc aut illud, ergo, &c. Qui ſecundæ ſententiæ ſunt addicti, dicunt, corroborãtia non alia ratione ſuam quæq; partem confirmare, quàm quia ſpiritum, qui propter varias cauſas, in partibus varijs variè periclitari poteſt, & facilè vel ob alimenti defectum languere, vel ob tenuitatem diſſipari, vel ob craſſitiẽ motu priuari, vel ob prohibitam ventilatio-

lationẽ ſuffocari, ſic ab imminẽte peri-
culo liberẽt, vt periculum omne, quod,
vel in vna, vel in alia parte, ſubire poſ-
ſet ſpiritus, depellant, & cauſas omnes,
in illius vndequaque perniciem cõſpi-
rantes, amoliantur & abigant, ac fa-
ciant demùm, vt inſtrumentum illud a-
nimæ præcipuum, ſine quo, nec cohæ-
rere cum corpore, nec operari valeret,
ſaluus & incolumis perſiſtat, nullaque
vel tabe vel labe perfundatur. Hinc (in-
quiunt) cerebrum (quod per caput in-
telligitur) quoniam lædi potiſſimùm
ſolet ab humiditate ſuperflua, quæ fa-
cit, vt ſpiritus animales, qui deberent eſ-
ſe lucidi tenues & ſicci, fiant obſcuri, dẽ-
ſi, madidi, ſuisq; propterea muneribus
minus apti (ſicca namq; lux, inquit He-
raclitus, anima ſapientiſſima) ſicca re-
quirit medicamenta quibus iuſta ſpiri-
tuũ proportio ſeruetur. Hinc, cor, quia
ſpiritum atque calorem vitalem gene-
rat, ſubſtantiam videlicet calidam & te-
nuem, ea poſtulat, quæ plurimum eum
& opti-

& optimum gignunt, genitumq́ue conseruãt, qualia sunt Aromatica, quæ gratum odorem habentia, leui quadam adstrictione cordi robur addunt. Hinc, hepar, quoniam ob viarum ac venarũ, angustiam obstructiones haud difficulter incurrit, & inde putredinem, calori natiuo spirituiq́ue plurimùm infestam ac infensam accersit, ea desiderat, quæ sunt incidentia pariter & aperientia. Hinc Lien, quia propter sanguinis quẽ continet melancholici crassitiem, maioribus & frequentioribus obstructionibus, quàm hepar, est obnoxius, validioribus opus habet tum attenuantibus, tum ab infarctu liberantibus medicamentis. Hinc, ventriculus, quia pituitosis excrementis redundare consueuit, quibus calor natiuus coctionis author, in eo satis alioqui debilis, obruitur & opprimitur, ea deposcit, quæ tenorem ipsius & calorem natiuum tuẽtur. Hinc, Renes, quoniã obstructione, quam facit succus terrenosus frequẽter laborãt, diu-

diuretica postulant. Hinc, vterus, quia cõmuniter mensibus aut suppressis, aut superfluis infestatur, & motum patitur inordinatum, ijs indiget, quæ mẽses vel tenuitate partium citent vel crassitie sistant & odore suo nunc huc nunc illuc ipsum impellant, nam odorem & gratũ sequitur & grauem fugit. Hinc demum Iuncturæ quia propter laxitatem suam noxios nonnunquàm humores imbibũt, qui calorem ipsorum natiuum obtundunt, ijs ferè recreãtur quæ cũ astrictione moderata siccãt. Cum igitur medicamenta superius allata sic comparata sint, vt qualitatibus manifestis id prę-stare valeãt, quo spiritus, in partibus singulis, quas conseruare dicuntur, à noxa defendatur, tum (inquiunt isti) non est opus ad qualitates occultas & abstrusas temerè, citraque causam omnem, nulla cogente necessitate, confugere. Qui tertiam amplexantur sententiam, aiunt, quod quamuis manifestis qualitatibus istis custodiatur spiritus in-

quauis

quauis parte consistentis, qualitas, quãtitas, motus, & substantia, non minus tamen sit necessarium, vt ijs qualitatibus, quæ formam substantialem immediatè sequũtur, & specificæ, vel occultæ nominantur, ipsius in parte quauis proprietas, & quam habet cum ea, familiaritas ac proportio, partis quoque tenor ac tonus, & similitudo quam habet cum spiritu retineatur: dicit enim Auerroes, 5. coll. 19. Medicinas istas assimilari complexionibus membrorum in tota substantia, propterq́; similitudinem istam, partes ab ipsis conseruari: Etenim quẽadmodum contraria contrarijs curantur, ita similia similibus conseruantur: &c. Si quis quærat, inter Medicamenta cuiuis parti conuenientia, quodnam in quouis genere, primas, secũdas, aut tertias obtineat? Respondetur ratione qualitatum manifestarum ea communiter esse fortiora, quæ plus habẽt odoris, astrictionis, aut amaritudinis, quæ minus, debiliora, roborisq́ue magis expertia:

pertia: ratione verò qualitatum occultarum id non aliunde poſſe cognoſci, quàm experimento, conſideratis & inter ſe collatis medicamẽtorum, partiſque, cuius ſunt peculiaria, conditionibus, quo fit vt dicat Auerroes, 5. coll. 20. ſemper ſis memor eorum, quę diximus ſuperius, hoc eſt, quia diuerſificantur operationes iſtarum Medicinarum, per diuerſitatem cõplexionis alicuius mẽbri, etiam plus & minus: & à te pone gradus, & via cognitionis harum rerum eſt vt plurimùm experientia.

Verùm quamuis iſta, magis peculiariter quàm alia nonnulla, corporis ſubſtantiam conſeruare videantur, ſunt nihilominus alia quædam, quæ non minus id præſtant, & propterea, quoniam ad alium æquè commodè locum referri nequeunt, ac ad iſtum, poſſunt hic à nobis non minus oportunè proponi quàm illa, ſunt autem ea dolorem mitigantia. Quemadmodum enim doloris atrocitas multo amplius quàm alia res

quæuis, ſpiritus diſperdit, vireſque proſternit, quibus corporis ſubſtantiã contineri diximus, ita, quę dolorem aut delent aut deliniunt, quoniam ſpiritus diſperdi, vireſq; poſterni prohibent, eam non immeritò dicentur conſeruare. Vocantur ea communiter à Medicis anodyna, ſub triplicíq; comprænhenduntur ab ipſis differentia, de qua quia breuiſſimè maximeq́ue perſpicuè locutus eſt Paræus, eius hic, ego non alterius verba ſubijciam. Statuuntur (inquit ille) tres anodynorum differentiæ: Alia enim ſunt morborum curatiua, alia lenitiua, alia narcotica. Morborum curatiua ea dicimus, quæ morborum cauſis obſiſtunt & contrariantur, ſic ab intemperie calida, dolorem tollunt, oleum roſaceum, oxycratum & alia quæ doloris cauſam, id eſt caloris exceſſum emendant: ab intemperie frigida dolorem tollunt, oleum laurinum, nardinum, de caſtorio: ab intemperie ſicca hydręleum balneum aquæ dulcis & tepidæ.
Deni-

Denique hac anodynorum laxius vsurpata notione purgantia omnia Medicamenta, phlebetomiam sacrificatum, cauteria, cucurbitulas, clysteres, & alia quæ materiæ dolorificæ copiam vacuant, intelligimus. At propriè dicta anodyna duorum sunt generum: alia enim sunt temperata; alia sunt calida & humida in primo gradu, adeoque illis temperatis proxima. Illa calorem natiuum in sua integritate conseruant, & sic omnes intemperantias emendant. In hoc censu habentur, oleum simplex, amygdalinum dulce, vitelli ouorum, & pauca alia his similia. Hæc calorem natiuum roborant, vt sic quoad substantiam auctus doloris causam expugnet facilius: sed & rarefaciũt, extenuãt, digerunt, adeoq; vacuant tum humores crassos & viscidos, tum flatus nebulosos exitu prohibitos. Eiusmodi sunt flores chamæmeli, meliloti, crocus, oleum chamęmelinum, anethinum, lini, ex semine altheæ, lumbricorũ, ouorũ,

ex tritico , butyrum, lana ſuccida, ſuil-
lus adeps, vitulinus, gallinaceus, anſeri-
nus, humanus, ex anguilla, cuniculo, &
alijs, lac muliebre & vaccinũ, mucago
ſeminis lini, fænugræci, altheæ, maluæ,
vel eiuſmodi ſeminum decoctum: vt &
decoctum liliorum, violarię, capitis, pe-
dum & inteſtinorum arietis & hædi.
Narcotica impropriè dicta anodyna fri
gida ſunt in quarto ordine: itaq; frigo-
ris exceſſu ſpiritui animali ad partem a-
ditum intercludunt: quo fit, vt ipſi ſen-
ſum adimãt. Huiuſmodi ſunt, hyoſcia-
mus, cicuta, ſolanum manicum, man-
dragora, papauer, opium; arctiſſima vin
cula. Primę ſpeciei Anodynorum vſum
in ſingulis morbis, qui contrarij oppo-
ſitione curãtur, obſeruare licet. Secun-
dæ verò in doloribus haud adeò contu-
macibus expugnandis, vt eorum appo-
ſitibus, fluxioni inflammationi, febri,
& alijs ſymptomatibus occurratur. At
vbi tanta doloris eſt acerbitas, vt reme-
diorum cæterorum vires eludat, tum
demùm

demùm ad tertiæ ſpeciei anodyna veniendum, quanquam nõ rarò tanta doloris eſt atrocitas, vt ipſa narcotica, ſi partem, immò hominem ſaluum volumus primo quoque tempore ſint apponenda. Horum támen frequentior vſus, præſertim ipſorum per ſe, haud addito croco, myrrha, caſtoreo, ſimiliue alio, valdè periculoſus eſſe ſolet. Nam natiui caloris extinctionem, adeoq́ue necroſim liuore partis manifeſtam inferunt. Cæterùm dolores intolerabiles, qui ſcilicet doloris ſumma habebunt omnia, ab inflammatione & gãgrenis, citius ſedaueris venæ ſectione, purgatione, & ſacrificatu partis dolentis, quàm vel propriè dictis anodynis vel narcoticis, nempe vt ſit dolor medicina doloris, &c.

DE MEDICAMENTIS, QVAE substantiam continentem generant,

CAPVT VII.

Continentis substantiæ nomine, non aliud hic denotamus, quàm solidas corporis partes, quas vocauit Hyppocrates continentia, cum dixit, omnia, quæ corporis humani constitutionem, ingrediuntur esse, vel continentia, vel contenta, vel impetum facientia. Cum autem partes huiusmodi duplices solummodò sint, sanguineæ videlicet, & spermaticæ, sic dictæ, quòd illæ, sanguinis, istæ, seminis naturam magis æmulentur, & hę rursus semen, illę sanguinem, potissimam ortus sui materiam, agnoscant, cumquè sola caro sit sanguinea, reliquæ verò totius corporis partes omnes, spermaticæ dicantur: tum liquidò quàm apparet, aliam esse gignendæ carnis, aliam partium

tium cæterarum generandarum rationem, siue materiam spectes, siue causam efficientem. Generari dicimus hîc, quicquid, quocumquè modo, vel regeneratur & restauratur, vel ad partium separatarum vnionem ac coalitum reducitur, siue sit exesum aut exectum, & deficiat, siue dissectum & diuisum ac partes habeat distantes abinuicem & hiantes. His ita constitutis, videndum, quo pacto caro primùm, deinde partes aliæ iam dictæ generentur, & quæ Medicamenta sint ad earum cuiusquè generationem oportuna. Quarè, quod ad carnem attinet, ea siue corrosa sit ab vlcere, siue vulnere vel fissa vel abscissa, per sui generis substantiam, hoc est carneam, tum refici regigniqúe, qualis erat, tum ad vnionem veram reduci potest. Medicamenta quæ talis substantiæ producendæ vim habent, Sarcotica nominantur à medicis, non quòd verè propriequè carnem generent (Est enim illud, naturæ,

non medicamenti cuiuſpiam opus, prout poſt Hyppocratē in libro de carnibus, vel vt alij volunt de principijs, oſtendit Galenus 3. meth. 3. ſed quòd naturam in hoc opere iuuent, & remoueant impedimenta, quibus prohibetur natura, ne poſſit ſanguinem quo vulneris aut vlceris ſuperficies irrigatur, in ſubiectæ carnis ſpeciem continuationemq́ue mutare. Neque tamen omnia medicamenta, quæ quauis ratione tollunt impedimenta generationi carnis aduerſa, ſtatim Sarcotica dicentur, nam ſic (veluti bene notauit Iacobus Hollerius, inſtitutionum chyrurg. lib. 2. ca. 3.) quæcumque repellunt, temperāt, molliunt, intemperiem corrigunt, & alia nonnulla faciunt, licentiosè nimis ſarcotica dicerentur, ſed ea tantummodò, quæ poſtquā pars à Rheumate, dolore, callo, intemperiè, necnon id genus alijs liberata fuerit, ſanguinis eò confluentis mutationem, ac vltimam naturæ, carnem inde conficere conantis, manum

acmo-

ac molitionem impedire valent amoliuntur. Sunt autem ea, quæ naturæ conatum iſtum remorantur, impedimẽta, tria, calor partis corruptus, excremẽtum tenue quod innatat vlceri, craſſum excrementum quod vndique tenacius adhæreſcit: quo fit, vt tres debeant eſſe medicamentorum ſarcoticorum conditiones, nimirum, vt exiccẽt, quod innatat, detergeant, quod adhæret, & calorem partis natiuum cuſtodiant. Has igitur conditiones ſeorſim paulò diligentius examinabimus, vt inde medicamenti ſarcotici natura melius eluceſcat. Deſiccationem eſſe neceſſariam, ex eo patet, q, cum coctio nulla peragatur in qua non generetur excrementum tenue, tum fieri nequeat vt in iſta ſanguinis in carnem conuerſione, quę ſpectat ad tertiam corporis noſtri coctionem, excrementum huiuſmodi non proueniat. Quemadmodum igitur in coctione tertia, qua, primę carnis fit generatio, prouenit excremẽtum tenuè,

perſpicatio ſcilicet inſenſibilis, quæ, ſi quandoq́ue, vel ob cibum immoderatiorem, vel motum vehementiorem, vel calorem naturalem imbecilliorem, fiat (vt Galeni verbis vtar) viſibilis, ſudor appellatur, quæq́; propria naturæ vi (ſi pars ſana ſit & incolumis) ſemper extra corpus protruditur, aut ſenſibiliter, aut inſenſibiliter: ſic in iſta carnis generatione, quæ ſecũdaria quodãmodo dici põt, dũ ſanguis in carnẽ conmutatur, fit ẽt prouẽtus aliquis excremẽti tenuioris, quod Ichor aut ſanies appellatur, verùm quoniam ipſum, propter affectæ partis lãguorem, non põt natura foras & extra vulneris aut vlceris circũſcriptionem propellere, fit, vt cum ex ipſius retentione, vulnus aut vlcus nimis humidũ euaderet, nec poſſet propterea ſanguis iuſtam carnis conſiſtentiam acquirere, debeat humiditas illa tenuis abſumi per Medicamenta quæ deſiccandi facultate pollent, & propter hanc cauſam, opus eſt, vt Medicamen-

menta carnem generantia, sint inprimis desiccantia. Cæterùm cum in desiccatione modus seruandus sit, ne, si Medicamentum, vel languidius desiccet, aut sanies aceruetur copiosior, aut caro mollior gignatur ac flaccidior, vel nimis in desiccando sit efficax, aut spatium carne replendum exarescat, aut callosum germen enascatur, aut excitetur dolor, & vlcus grauiter arrodatur: tum non videtur à medicis satis exactè definitum, in quo siccitatis ordine consistere debeant Medicamenta sarcotica. Nam etsi Galenus, tertio meth. 3. dicat, in primo desiccantium ordine collocari debere sarcotica, quarto tamen de comp. med. s. g. primo, recenset nonnulla quæ carnis generationem promouēt, non ordine tantùm primo, verum etiam secundo, tertioquè siccantia, quo fit, vt non tam Galeni mirer inconstantiam, quàm aliorum incogitantiam, qui quamuis viderint Galenum hac in re parum constantem, priori

nihi-

nihilominus ipſius authoritate ducti conſtanter auſint affirmare perpetuam & firmam eſſe Galeni ſententiam, quòd Sarcotica nulla primum ſiccitatis gradũ tranſcendere vel poſſint vel debeãt. Sum igitur in ea quidem ſẽtẽtia, quòd Sarcotica quæuis ad certum aliquem & determinatum ſiccantium ordinem referri nequeant, cum præſertim ob totius corporis, maximè verò partis laborantis, temperaturam, ſaniei copiam ac inopiam, vulneris aut vlceris magnitudinem ac paruitatem, aliaſq́ue circumſtantias, modò plus, ac valentius, modò minus ac mitius ſit exiccandum, prout & ratio dictat, & expreſsè dicunt illi, qui methodum curatricem tradunt. Nec aliter ſenſiſſe puto Galenum, quia quẽadmodum in corporibus vel temperatis vel à mediocritate parum recedentibus 3. meth. 3. Sarcotica probat ordine primo ſiccantia: ſic quarto de comp. med. ſ. g. primò, fortiorum præcipit, in corporibus aliter conſtitutis, vſum.

ſum. Sed de ſiccantium, & eorum quæ ſaniem abſumut medicamẽtorum natura ſint hæc ſatis. Quòd deterſione ſit opus abundè liquet ex eo, quòd quemadmodum in alia coctione quauis non excrementum tenue tãtum, ſed & craſſum etiam generatur, ipſumque quod in tertia genitum, cuti firmius adhæret, ſordities appellatur: ita, dum ex ſanguine procreatur caro, per coctionem, quę tertiæ quædam eſt quaſi ſpecies, pręter saniem, quam diximus reſpondere trãſpiratui ſenſibus haud perceptibili, naſcatur quoquè pus, quod eſt ſaniè craſſius, & ſorditiei cutaneæ proportionatum. Craſsius iſtud excrementum, cum natura partis, ob ſui debilitatem, à ſe reijcere non valeat, tum indiget medicamento, deterſoriam vim habente, quo protinus auferatur, & (vt ita dicam) ab radatur. Quanta verò debeat eſſe vis illa deterſoria, non poteſt quiſpiam certò definire, quandoquidem, interdum magis interdum minus, ea vehemens

eſſe

esse debeat & valida, prout excrementi crassities aut tenuitas, ægrotantis habitus durior aut mollior, partis laborantis sensus magis aut minus exquisitus, & id genus alia vel postulare, vel permittere videbuntur. Quarè, consultum est vt indicationum prius vires perpendamus quàm ad operandum accedamus, & eas deinde medicamentorum materias, ad opus accommodemus, quæ malo, cui mederi volumus, sunt æquales, ne vel ex mitiorum vsu nihil proficientes, medicinas alioquin bonas infames reddamus, vel validioribus aut adhibitis aut exhibitis, ægrum in maius discrimẽ adducamus, veluti narrat Galenus empyricum quendam fecisse, qui cum continuè vires medicamenti detergentis adauxisset, putans, quod quo foret vehementius, eo plus esset detersurum, præter opinionem, maiorem continuè sordium multitudinẽ colliquata carne sic accumulauit, vt vlcus indies sordidius appareret. Et de detergẽtibus hactenus.

Quòd

Quòd caliditas ad ſarcoticorum medicamentorum naturam abſoluẽdam requiratur, duo præcipuè declarant, ſanguis videlicet in carnẽ mutãdus, & ſubſtãtia partis laborantis cõſeruanda. Pars enim carnoſa quæuis, cum calida ſit, ijs, quæ naturæ ſuæ familiaria ſunt, & ſimilia, conſeruari debet, & hinc Galenus peculiariter de ſarcoticis medicamẽtis loquens, ea dicit habere debere tẽperiẽ affectæ particulæ ſimilẽ, nec magis aut calidam aut frigidã, nã vtraq; ſanationẽ (inquit) moratur. Coctio præterea quælibet calore perficitur, atq; q, ſanguis dũ in fibras concreſcit & carnis formam aſſumit, concoquatur, nulli dubium eſſe põt. Cum igitur Sarcotica medicamẽta calorifica ſint oporteat (nam frigiditas ad carnis generationẽ non facit niſi vel inflammatio ſit arcenda vel ſarcoticorum caliditas vehementior contẽperanda) tum ſciendum, quòd, vltra principium ſecũdi gradus calefaciẽtium rariſſimè ſoleãt conſiſtere, ſæpius primũ

haud

haud excedant, sæpissimè mediocritatem in qualitatibus actiuis, seruent. Exempla sarcoticorum nonnulla suggerit Galenus, quæ communiter à medicis sic in tres classes digeruntur, vt alia mitissima sint, alia fortiora, fortissima demùm alia. Mitissima censentur Beta, Brassica, fænigræci farina, Gummi Arabicum Hordei farina, Iris nostras arida, Tragacanthum. Fortiora sunt Aloe Iris Illirica, lupinorum farina, manna thuris, mastix, mel, myrrha, Orobi farina; Thus. Fortissima statuuntur Anethum vstum, Aristolochia, Asarum, Borax, Bryonia, Cadmia, Chalcitis, enula campana, gentiana, Guaiaci scobs, panax, pix liquida, Scordium, quorum si quodpiam nimis acre sit & mordax, id in puluerem redactum ablui potest, ablutio verò mordacitatem tollet. Ex his & alijs simul permistis oleoq́ue perfusis confici possunt vnguenta. Nam sarcotica medicamenta, solent in vnguenti potius forma præscribi quàm in alia

alia, propter læuorem, æquabilitatem, tenuitatem & mollitiem, ne scilicet medicamẽtorum asperitate, crassitie, densitate, duritieque, malum magis exacerbetur. Neque refert quòd Galenus 4. de comp. med. s. g 1. dicat euitanda medicamenta, generis oleosi, qualia videntur ista: quoniã quãuis vnguenta parari soleant cum oleis, oleorum tamen facultas molliens propter quam damnãtur à Galeno, sic reprimitur & obtunditur ab alijs rebus vnguenti compositionem ingredientibus, vt vlceri non amplius inimica sit & aduersa. Nec hîc silẽtio prætereundum, quòd etsi multa reperiantur ad hunc vsum in pharmacopolijs vnguenta iam antea præparata, melius tamen sit vt proprio quis marte componat huiusmodi medicamenta, quàm quæ facta sunt ab alijs vsurpet: sic enim quandoquidem cum amissa carne plures nonrarò complicentur affectiones, quę purè sarcoticis haud cedũt, & variæ contingunt mutationes ratio-

ne tum aeris, tum temporum morbi, tū aliarum circumſtantiarum, quę faciun vt vnum & idem Medicamentum non ſemper eſſe poſſit oportunum) licebit illi prout videbitur commodum, & præſenti rerum ſtatui conſentaneum, plures ſimul Medicamentorum facultates coniungere, rurſuſq́ue, nūc vnam, nunc aliam, vel addere, vel adimere, ne quid vnquàm aut ſuperflui, redundet, aut neceſſarij, deſideretur. Sed de medicamentis carnem generantibus ſat iam ſuperq́; diximus, nunc ad medicamenta, quibus aliæ partes gignuntur, accedamus: Atqui fruſtra quidem hic nobis quiſpiam obijciet, alias à carne partes, nec regenerari, nec augeri, nec coaleſcere, iuxta ſententiam aphoriſmi 19. ſextæ ſectionis, ſcimus enim id verè proprieq́ue fieri non poſſe, vel propter defectum materiæ ſeminalis congruæ, vel propter virtutis formatricis vires aut abolitas aut languentes, vel propter partium ipſarum denſitatem duritiem

& ſic-

& ſiccitatem quæ veram intromiſſionem, perfectam alterationem & agglutinationem naturalem reſpuit, vel quia caro celeriter ſuccreſcens intermedia prius ſpatia replet, occupat obtegit & occludit, quàm illæ poſſint ex propria materia ſeminali reparari: quod poſſint tamen, per alterius corporis, haud omninò diſſimilis interuentum, ad vnionem & coalitum, reduci quis, oro, tam ignarus eſt, qui neſcit? Vocatur corpus illud, in oſſe callus, in partibus oſſe mollioribus, cicatrix. Quarè, cum, ſi paucula iam dixero, de Medicamentis, quibus horum vtrumque generatur, abundè videar declaraſſe, qua ratione, ſubſtantia contenta quæuis reficiatur ac reſtauretur: tum agam de generatione, primùm cicatricis, poſtea calli. Poteſt quidem in interioribus interdum, corporis partibus cicatrix gigni, frequentiſſimè tamen euenire ſolet vt in extima corporis ſuperficie gignatur. Etenim quia

cum carne semper vnà deperditur: cutis quæ semel amissa regenerari nequit, ideo necessarium est, vt quoties regeneratur caro (quod sæpissimè contingit) toties gignatur cicatrix, quæ cutis vices gerens, tenellam recensq; natam carnem tegat, & ab aeris, ac aliarũ rerum extrinsecùs occursantium iniurijs tueatur. Quæ verò materia gignendæ cicatrici sit apta, docet Gal. 3. meth. 5. dicẽs summam carnem cuti similem efficiendam esse, qua rursus ratione summa caro cuti similis fieri debeat, mox declarat, & ait, alterandam sic esse carnem eam, vt non amplius caro permaneat, sed veluti cutis euadat, & quoniam cutis ipsa carne tum siccior est, tũ etiam densior, ideo si carnem siccabimus & astringemus, cuti persimilem eã reddemus. Et hinc (inquit) habes demũ Medicamenti quod cicatricem inducit summam. Debet enim esse tale, quod validius tum exiccet, tũ astringat, quàm glutinatorium, quoniam in vlcerum gluti-

glutinatione ſiccandum illud tantum eſt humoris quod affluit, hoc eſt influit in vlcus aliundè, quo videlicet pars affecta ſuperuacuis vacet: in cicatrice verò ducenda, non modò quod affluit, veverum etiam humor qui in ipſa carne continetur, hoc eſt, carnis proprius, & qui ſecundum naturam ſe habet, eſt cōſumendus. Et hoc medicamenti genus Græci vocant, ἐπουλωτικόν, noſtri, cicatricem inducens, Barbari, conſolidans, Auicenna, ſigillatiuum. Exempla petūtur, partim ex metallicis partim ab alijs rebus. Metallica ſunt, Aeris & ferri ſquama, ærugo vſta, Aes vſtum, Alumē, Cadmia, Chalcitis, chalcāthum, Chryſocolla, diphryges, Miſy, Plumbum vſtum, Plumbi recrementum, Pompholyx, Sory. Extra metallicorum cenſum ſunt, Acori radix; Aegyptiæ ſpinæ fructus, Ariſtolochia, balauſtium, buccinorum teſtæ combuſtæ, centaureum, Chamæleontis nigri & Cyperi radices, dracunculus, galla immatura, glandes, Ichthio-

colla, Iris, lapis ſpecularis vſtus, Malicorium, Oſtreorum & purparum teſtę cõbuſtæ, Panax, Polium, Rhus, Sarcocolla, vitrum vſtum. Et ex his quidem omnibus, Galeno teſte, 3. meth. 5. galla immatura, maliciorum, & Aegyptiæ ſpinæ fructus, modicè ſiccantia medicamenta ſunt, chalcitis, & æs vſtũ, & æris ſquama, & miſy, & fiſſum alumen, multò ſunt valentiora, miſy quidem & chalcitis præcipuè, mitior autem æris ſquama, atq; hoc etiã mitius æs vſtum, quod etiam, ſi lauabis, vtiq́ue minus mordax medicamentum (inquit) habebis. Nec ijs tantùm ſinceris, ſed & adinuicé etiã permiſtis, & in varias, vel puluerum, vel vnguentorum, vel ceratorũ, vel emplaſtrorũ, formas redactis, vti quis poterit. Vnde notat Hollerius, 2. inſtit. chyrurgi. 4. quod, vbi cicatrix ægrius trahitur, emplaſtica meliora ſint, quia diutius inhærent, quòd vlcus humidius, aridis iuuetur, quòd molliora corpora linamẽto gaudeant, quòd denique ſemper videndum ſit, ne recens enata caro, medica-

dicamentorum vel acrimonia rodatur, vel irritetur aſtrictione. Monet præterea Galenus 4. de comp. med. ſ. g. 1. mollioribus corporibus, epulotica mitiora, durioribus fortiora competere, ne ſcilicet aut à fortioribus molliora corpora lędantur, aut à mitioribus duriora nihil patiantur. Et hinc Epuloticorum natura quæ ſit, ſatis (ni fallor) luculenter apparet. Cæterùm quia glutinantia magnam habent cum epuloticis cognationem, prout ſuperius ex Galeno retulimus, nec in vllum commodius locum incidere poteſt eorum tractatio, quàm in iſtum, ideo paucis, hic etiam eorum, & explicabo naturam, & recenſebo materiã. Glutinare dicũtur ea medicamẽta, veluti probè notat Gorræus, quæ ſic cõiungũt & vniũt diuiſas partes (nõ tãtùm in cruẽtis vulneribus, vbi ſanguinẽ ex plaga adhuc profluentẽ ſpõgia deterſerimus, deinde ſuturis aut fibulis coarctauerimus, ſed in fiſtulis etiã & ſinibus veterib⁹, cũ eos ab inflãmatione vindicauerim⁹, puroſq; reddiderimis) vt ad

priſtinã vnitaté reducãtur, ſiccãt ea quidé verũ, vt à ſarcoticis diſtinguãtur, nec detergent, nec neceſſariò calefaciunt, ſed adſtringunt ac contrahunt, & frigiditatem interdum ſiccitati coniunctam obtinent, vt autem ab Epuloticis ſeparentur (nam medium ea locum inter hæc & ſarcotica quoad ſiccitatem ſortiuntur) minus & ſiccant & aſtringunt quàm Epulotica propter rationé ex Galeno ſuperius allatam. Huiuſmodi ſunt, Acacia, Aloe, Alumen, Amylũ, Ariſtolochia, Balauſtium, bolus Armenus, Cadmia, centaureum vtrumq; corallium, Equiſetum, fabarum, & hordei farina, Hypericum, Nux cupreſſi, Nux moſcata, Plantago, Pumex, pyrola, ſanguis draconis, Sanicula, ſymphytum, Thuris cortex, Thus ipsũ, & ſi validioribus ſit opus, (vt in corporibus duris, partibus ęgrè glutinationem admittentibus, vulneribus magnis, vlceribus, ſinuoſis, fiſtuloſis, & curatu difficillimis) epulotica pleraque. Quo fit vt in errorem ma-

re maximo verſentur ij, qui putant eam inter epulotica glutinantia ſarcoticaq́; Medicamenta differentiam eſſe ſtatuẽdam, vt ſarcotica quæuis, primò, glutinantia, ſecundò, Epulotica tertiò tantùm ordine, deſiccẽt, nec liceat eorum alicui vel alterius ordinem ingredi vel vltra citrauè conſtitutum illi gradum cõſiſtere: cum tamen & experiamur & rationi non aduerſetur, quòd pro diuerſitate corporum, membrorum vulnerum ac vlcerum vnum & idem medicamentum poſſit euadere, nunc ſarcoticum, nũc glutinatorium, nunc epuloticum, & ediuersò. Quæ namq́; ſunt, in corporibus durioris habitus, Sarcotica, quid impedit quominus in corporibus haud ita duris glutinandi vim habeant, & in mollioribus adhuc cicatricem gignant? Et quæ ſunt in corporibus moderatis epulotica, cur non poterunt in paulo durioribus, & glutinantium & ſarcoticorũ vices gerere? glutinatoria denique, quandoquidem in ſarcotico-

rum &epuloticorum medio constituta sunt, quid vetat, si mitiora sint, sarcoticis, si validissima sint, epuloticis, siccãdo respondere? Quamuis igitur, Epulotica propriè dicta, sua natura, plus quàm glutinantia desiccent, & hæc quàm sarcotica, non tamen absolutè pronuntiare vel licet vel decet, ea tam, aut certis coerceri limitibus, aut arctis concludi terminis, vt vel in siccãtium ordine primò glutinantia simul & epulotica, vel in secundò sarcotica pariter & epulotica vel in tertiò sarcotica glutinantiaque nulla penitus reperiri queant. Sed ad glutinãtia reuertamur. Itaque, præter ea, quæ nos paulò iam ante recensuimus, multa tum à Trincauellio tum ab alijs enumerãtur, ex quibus pro medicorũ arbitrio componi possunt varia (qualia leguntur apud Galenum, Rondeletium, Hollerium, & alios) quorũ (inquit Gorræus) quædam imbecillem molléq; carnem glutinant, & ex argenti spuma oleo ac aceto præparantur, alia robustam & duram,

ram, quæ videlicet, Bitumine, ærugine, squama, Aloe, & myrrha, constant. Et de generatione cicatricis ista sufficiant. Ad callum nunc generandum accedamus. Cum ossa non rarò rumpi frangiq; soleant, nec possint, vt ait Galenus 6. meth. 5. propter siccitatem ac duritiē, ipsa coalescere tum alia quapiam interueniente substantia, ceu glutino quodā agglutinari colligariq; secum separatæ fracti ossis particulæ debent. Vocatur autem interueniens illa substantia, callus, cuius (post ossis partes in naturalem formam reductas & adamussim sic coniunctas, vt immotæ permaneant, institutam rectam viuendi rationem, & alia salubriter ordinata, quorum ad hunc locum consideratio non spectat) generatio perficitur per Medicamenta quæ Pωrotica dicuntur, à Latinis callum facientia, vel obducentia. Medicamentorum istorum natura talis est, vt naturæ suffragentur, & ipsam adiuuent, vt quod ex proprio ossis

alimen-

alimento redundat & à fracturæ labijs continuè per ambitum, exudat (ex quo callus generatur) ad ossis similitudiné conuertat, & sic induret, vt quamuis os non sit, si tamen os illud rursus frangi contingat, in alia quauis parte potius quàm qua callo firmatum est, frangatur. Vt igitur calli materia densior ac durior euadat, & oras fracturæ validiori veluti vinculo colliget, opus est, vt medicamenta calli generationem promouentia, desiccent, incrassent, inspissent, indurent, & emplastica sint, moderatè tum calefacientia, tum astringentia, nam quæ contrarias habẽt qualitates, aut digerunt, resoluunt, atq; consumunt, aut liquefaciunt, attenuant, & molliorem reddunt succum, ex quo cõcrescere callus deberet, & ita demùm calli generationem aut penitus impediunt, aut (vt ait Paræus) tardant. Laudantur à Medicis quædam exhibita, quædam adhibita. Priori modo valere dicitur, ab Aquipendente, succus pri-
mulæ

mulæ veris, pluribus diebus potus, pul-
uis radicum Agrimoniæ, in vino ſum-
ptus, aut ſuccus eius epotus, Ab Eraſto,
lapis ſabuloſus Heydelbergenſis, cuius
drachma vna, vel paulo amplius, manè
veſperiq; in liquore aliquo ſumptus, in-
tra paucos dies ab omni dolore liberat,
& membro vti poſſe facit, ab alijs aliud,
&c. Poſteriori modo fractis oſſibus ſuc-
currunt Acacia, Aloe, Bolus Armenus,
farina volatilis, gallæ, lapis ſabuloſus,
laudanũ, myrrha, nuces cupreſſi, Thus,
tragacanthum, & ſimilia pulueriżatæ,
ſi cum oui albumine, oleo Myrtino, a-
qua, vino aſtringente, vel mucillagine
quapiam, incorporentur, ad empla-
ſtri formam redigantur, &
applicentur.

DE

DE MEDICAMENTIS, SVB-ſtantiam contentam gignentibus.

CAPVT VIII.

Contentam ſubſtantiam, eam vocamus, quæ, nec continens eſt, nec impetum faciens, hoc ſtə, humores, qui propterea dicũtur ab Hypp. cõtenta, quòd à ſolidis comprę-hendantur, vt ait Galenus, libri de tremore, palpitatione &c. c. 5. Qui generari ſolẽt in corporibus noſtris humores, triplices exiſtunt, naturales, nõ naturales, & inter hos medij. Nõ naturales fiũt communiter ex naturalibus, ad putredinem, & naturam venenatam vergentibus, ac propterea nõ tam à medicis gignendi, quàm extirpandi: quare medicamenta quibus gignuntur ſunt hic à nobis reticenda, cum ea tantùm recenſenda ſuſceperimus, quæ naturam iuuare nata ſunt, non deſtruere. Naturales humores neceſſarij ſunt, ad cuſtodiam, vel indi-

indibidui, vel speciei. Conseruatur Indiuiduum potissimùm sanguine, cõseruatur species, partim semine, quod generandis, partim lacte, quod nutriendis fœtibus, quibus humana natura propagatur, materiam præbet. Humor inter naturales & non naturales medius est pus, cuius generatio non potest non vtilis esse tunc præcipuè cum inflammatio magnã partem aliquam obsidet & in ea dolorem pulsationem ac tensionem efficit, quæ symptomata simul omnia, post puris confectionem, remittuntur iuxta sententiam aph. 47 secundæ sect. In hoc igitur capite, quatuor à nobis medicamentorum genera pertractanda sunt, ea scilicet, quæ sanguinem, ea, quæ lac, ea, quæ semen, & ea quæ pus procreare dicuntur.

Sanguis, etsi communiter fiat, ex chylo quem ventriculus ita subegit, vt à iecore tractus, in sanguinis naturam mox possit abire: fit tamen interdum etiam ex pituita, prout, tum alibi

tum secundo, de ratione victus in acutis tex. 30. docet Galenus, dicens, pituitam temporis processu coctam, sanguinem effici. Quod vt commodius contingat, opus est, inquit idem Galenus 5. simpl. vigesimoprimo, medicamentis excalfacientibus ordine primo, vel secundo, non tamen desiccantibus, inter quæ potiora sunt, quæ non tantùm sunt medicamenta, sed & nutrimenta, velut Eruca fœniculum, anethum. Dico autem ipsas herbas etiamnum virentes & & humidas, nam siccæ plus quàm oporteat, & excalfaciunt & desiccant. Huius generis est & Smyrnium Apium, Sion, polium, eaque virentia priusquàm siccentur: quippe cùm ea quæ desiccant humorem sanguinis depascentia, crassiorem ipsum simul ac pauciorem efficiant. Quæ Galeni dicta non vacant ratione, quia cum pituita frigida sit & humida, qualitatem vnam, nimirum humiditatem, habens cum sanguine symbolam, tum si debeat in sanguinem mutari,

tari, non est necessarium, vt alteretur, nisi quâ qualitatem habet asymbolam, ad quam alterationem, sola sufficit caliditas, eaq́; non vehemens, quandoquidem pituita (veluti dicunt Medici) sit sanguis ex dimidio coctus, possitq́;, per exiguum calorē, ad sanguinis naturam ac temperaturam perduci.

Lac, vt rectè monet, Mercurialis, dupliciter generari dicitur, per se videlicet, & per accidens. Per se dicuntur lac generare, quæ producunt substantiam lactis: per accidens verò, quæ, vel ducūt lac ad mammas, vel remouent causas propter quas lac minuitur.

Priorem generandi lactis modum tradidit Galenus, 5. simpl. 21. dicens ipsum non aliunde progigni, quàm ex sanguine rectè disposito, qui scilicet, neque crassior est neque parcior, neq; iusto vel calidior vel frigidior. Debet enim (inquit) sanguis esse modicè calidus, ac neutiquàm crassus vt lac generet, quocirca, quæ valdè vel exiccantia,

vel calefacientia, vel refrigerantia sunt, extinguunt magis lac, quàm procreant. At quæ sic, vt dictum est calefaciunt, hoc est ordine primo vel secundo, nec vllam insignem adiunctam habent siccitatem, lactis procreatricem habere facultatẽ meritò dicta sunt verùm eo numero perquàm sunt exigua, nec enim profectò facilè inuentu est, quod propositam in temperie sortitũ sit mediocritatem: cæterum infinita sunt, vt ita quispiam dicat, & multitudine incompræhensa, quæ lac lædunt. Etenim, quęcũque plus quàm expediat calefaciunt, quæq́; desiccant aut refrigerant, partim qualitatem ipsius sanguinis vitiantia, partim sanguinem ipsum minorẽ reddentia, lac prouenire prohibent. Hac igitur ratione, si cætera respõderint, hoc est, si nullum adsit impedimẽtum, quo minus, aut ad vbera sanguis haud fluat, aut non fluat talis, qualis ad lactis generationem requiritur, lac, per se, naturæque molitione medicamentis adiuta, copiosum nascetur, sanguine nimirùm,

rùm, ad mammas copiosius cõfluente, subeunteque, partim ex natura partis, partim propter calorem, quem cor suppeditat, mutationem eam, qua transit in substantiam lactis, fœtum aut iam editum, aut mox edendum, nutrituri. Sic enim est à natura comparatum vt singulæ corporis partes quicquid in se recipiunt ac transmutãt, id imbuant colore sibi familiari, veluti docet, author libri de viuorum anatomia, quod, vt in alijs partibus, respectu rerũ in ipsis genitarum, sic mammarum albarum lac album generãtium, exemplo declarat: Cor verò suppeditare mammis caloré, quo lac in ijs conficiatur docet Galenus 7. de vsu par: 20. dicens, mammas cum essent futuræ lactis, cibi videlicet exactè confecti procreatrices, in eo potissimùm loco fuisse constituendas, vbi facillimè simul & citissimè lactis copia perfectè elaborati posset consistere. Nam quis locus alius magis insito animantibus calore (cuius cor est fons)

frui queat, quàm is, qui in hominibus est mammis destinatus? Quòd si verò lactis materia præfuerit quidem in corpore satis multa, sed vel propter aut viarum ad mammas tendẽtium angustiã, aut sui crassitiem, aut facultatem mammarum attractricem debilem, ad mammas, locum scilicet in quo solo lac confici tum potest tum solet, vel attracta vel transmissa peruenire nequeat, vel, aut à nimia caliditate siccitateque consumatur, aut per alias vias exeat, è corpore, per nares videlicet, os, hæmorrhoidas, ac vteri vasa, quis non videt, inopiam lactis pendere tantùm ex accidentibus istis, quibus correctis, satis magna lactis copia succedit, quæ tamen non per se, sed per accidens genita dicetur. Et propter hanc causam, qui medicinam faciunt, in defectu lactis vtuntur, nunc aperientibus, quæ venas ac vias reserant, nũc attenuantibus, quę sanguinis crassitiem emendant, nunc mammarum frictionibus assiduis, & suctionibus, tum per

per homines, tum per cucurbitulas, tũ per inſtrumenta vitrea factis, quæ vim mammarum attractricem ſopitam excitant, nunc refrigerantibus, & humectantibus, quæ contrarias intemperantias obtundunt, nunc aſtringentibus, quę ſanguinis fluxiones inhibent, nunc purgantibus, quæ ſanguinis impuritatem tollunt. Quo fit, vt nec culpandus ſit Galenus, quòd vehementer tum calefacientia, tum refrigerantia damnauerit, & aliorum medicamentorum, quàm ordine primò vel ſecundò, citra deſiccationem, calefacientium nõ meminerit, quia loquutus tantũ eſt de modo, quo lac per ſe generatur: nec alij ſint vituperandi, quòd non modò medicamentis vehementer tum calefacientibus, tum refrigerantibus, verumetiam nonnullis alijs, ad generationem lactis per accidens, præſidijs vtantur. Et hæc putaui Medicinæ ſtudioſis inculcanda, ne quandocumq́ue lac deſideratur, exiſtimarent, medicamẽtis à Galeno propoſitis inſiſtendum eſſe, nec auderent,

ad alia propterea confugere, magis vel calefaciẽtia, vel refrigerantia, frustraq́; nonnunquàm, & seipsós fatigarent, & miseras mulieres excruciarent non videntes causas à quibus lactis defectus oritur, & proinde, generationem ipsius haud rectè procurantes. Etenim quid vetat, aut vbi calor ingens depascit humorem sanguinis & lactis materiam, cucumere, cucurbita, lactuca, melone, Nymphæa, papauere, violis, & id genus alijs, aut vbi frigus immodicum coctionem impedit, anetho, aniso, apio, eruca, fœniculo, mentha, pulegio, roremarino, Serpillo, vitice, cæterisq́ue calidioribus vti? Quin & illud etiam hic silentio minime prætereundum existimo, quòd sint aliquę mulieres, quę quãuis lacte careant, non sunt tamẽ vel medicamentis vel alijs artibus ad lactis generationem sollicitãdæ, quales eæ sunt, quas ait Hyppocrates, esse natura sine lacte lib. de morb. mulieb. §. 99. propter densitatem & angustiam naturalem va-
sorum

ſorum quæ ſanguinem ad mammas ex vtero deriuant, & qualis fortaſſe fuit illa Vormatienſis, quam viriles habuiſſe mammas, & tamen adeo fuiſſe prolificam, vt vno quandoq́ue partu geminos ederet, narrat Cardanus, octauo libro de varietate cap. 4.

Seminis generationem duplicem ait eſſe Galenus 5. ſimpl. 23. qua videlicet procreatur, vnam, qua prouocatur alteram. Procreatur (inquit) quãdo quod antea non erat producitur, hoc eſt, ſubſtantia ſeminis augetur, prouocatur autem, quando quod in alto deliteſcit, in apertum profertur, hoc eſt, ex proprijs conceptaculis elicitur & eijcitur. Vtriq́; (poſtulante neceſſitate propter legitimam liberorum procreationẽ) ſua debentur medicamenta, priori, quæ materiam coaceruant ita diſpoſitã, vt mox formam ſeminis admittat; poſteriori, quæ motum ipſius accelerant, & faciũt, vt in agrum naturæ frequentius & facilius emittatur. Quæ materiam

respiciunt, prius expediam, quia nisi semen sit iam genitum, frustrà, nec sine periculo, ne dicam pernicie, promouebitur ipsius eiaculatio; postea, quæ motum ipsius adiuuant expendam. Materia seminis duplex est, sanguis, & spiritus seu flatus. De sanguine testem habemus Galenum, qui 2. de sem. 2. definit semen sanguinem exquisitè confectum & 16. de vs. par. 10. lac ac semen, ex sanguine exactè cocto generari, dicit, necnon 5. simpl. 21. lactis & seminis easdem tum alimentorum tum medicamentorum facultates statuit, alimentorum quidem calidam & humidam, medicamentorum verò, calidam ordine primò, vel secundò, citrà siccitatem. Sed vt alimentorum tractatio non spectat ad hunc locum, sic, medicamétorum rationem superius, cum de lacte loqueremur, satis apertè declarauimus. Spiritum esse pariter seminis materiá, patet ex eodem Galeno, 13. de vsu par. 9. dicente, quòd ipsum semen spirituosum

ſum ſit ac ſpumoſum, & ipſius humiditas ſpiritu plena, quod fieri non poſſet niſi conſtitutionem ipſius ſpiritus ingrederetur. Hinc, 5. ſimpl. 23. cum (inquit) ſubſtantia ſeminis, ex bona ſuperfluitate generationem ſortiatur, quæ ſit etiam flatuoſa: tum bene nutriant, & flatuoſa ſunt, neceſſe eſt, quæcumque, ſemen vel procreare, vel prouocare, poſſunt. Addit Auicenna, non ex quibuſque flatulentis medicamentis fieri ſemen, ſed ex ijs tantùm, quæ craſſam habent & viſcidam ſubſtantiam, in qua diutius perſiſtit flatulentia: ſiquidem flatulenta quę fundantur in minus craſſa viſcidaq; ſubſtantia cõuertuntur (inquit) in ventriculo & inteſtinis in flatũ, & quoniam eorum flatus eſt tenuis, facilè diſcutitur, non autem ducitur ad internas partes, atque ſemen, quod eſt ſpirituoſum producit. Itaque dicit Galenus loco iam proximè citato, bulbi, cicer, fabę, polypodes, conus, edulia dicũtur multi ſeminis, & ſunt at ſcineus

& ſatyrion medicamenta ſunt: porro cibi ſimul & medicamenta multi ſeminis, ſunt lini ſemen, & eruca. Sed ſunt hæc ſanè pauca, & haud rectè forſan ſic diſtributa, cum vix credi poſſit vllum cibum, qui non ſit medicamentoſus flatibus gignendis aptum eſſe. Quo fit vt alij medicamenta cum alimentis, & hæc rurſus cum illis confundant, ac dicant ea quæ ſemini flatum conciliant, eſſe, Acorum, allium, amygdalas dulces, aniſum, cæpas, cannabim, caſtaneas, cicer, dactylos, enulam, eryngium, fabas, fœniculũ, fraxini ſemen, horminum, meliſſam, napum, nuces pineas, Ocimum, paſtinacham, polypodes, porrũ, pulegium, pyſtachia, raphanum, rapũ, ſaturegiam, Satyrion, vuas recentes, & id genus alia: quæ quãuis (veluti monet Mercurialis) tum à Galeno tum ab alijs ſemẽ generantia dicuntur, verè tamen ipſum non efficiunt, ſed materiam tantùm ſeminariam ſpiritu flatuq; replent, quæ poſtea ſic extenditur, vt in molem maiorem

iorem augeri videatur. Motus ſeminis, etſi plurimùm adiuuetur, & acceleretur ab imaginatione, non tamen imaginationis ea vis eſt, quę ſemini proliciendo ſola ſufficiat, ſed opus eſt ad hanc rem commodius efficiendam ſtimulis quibuſdam & incitamẽtis, quibus pruritus & titillatio concitetur, qua concitata, turgeſcunt (inquit Galenus) animalia, coguntūrq; quod moleſtum eſt motu vehementiore propellere: fit autẽ titillatio per ea quæ ſemen exacuunt & ipſum acrius reddunt, qualia ſunt, quæ cum caliditate coniunctam habent, tũ mordacitatem tum tenuitatem partiũ nõnullam: vt Aniſum, apiũ, Ari ſemen, Aromata pleraque, dracunculi radix, erucę ſemen, gariophylli, grana paradiſi, macis, napi ſemen, naſturtium, petroſelini ſemen, piper, pyrethrum, raporũ ac raphani ſemen, Scilla, Synapi, vrticę ſemẽ, Zinziber & ſimilia quorũ Galenus nõ meminit quoniã is oſtẽdit tantũmodo quib⁹ medicamẽtis ſanguis, materia

ſcilicet ſeminis, ſit augendus, & flatus ſemini conciliandus, ac proinde vehementius exiccantia calefacientiaque, quæ, vel ſanguinem depaſcere, vel flatum diſſipare poſſunt, omittit, quo tamen nomine videtur increpandus, quod diuiſionis ab ipſo propoſitæ mébra nō ſit exactè proſequutus nec æquè prouocantium ac generantium ſemen medicamentorum materias propoſuerit, niſi quis fortaſſe, cum Mercuriale dixerit, ipſum, per ſeminis prouocationem, non aliud intelligere, quàm illius ad vaſa ſeminaria deductionem, quæ, medicamentis ab eo propoſitis, ſatis commodè perficitur. Sed valdè quidé impropriè ſic ſemen prouocari dicitur. Quarè, ne diutius hic hæreamus, prouocandum ſemen eſt, medicamentis acribus & mordacibus generandum calidis & flatuoſis. Cæterùm hic etiam aduertendum, nec omnibus, hæc omnia conuenire, nec in veneris impotentia quauis, hæc eſſe ſemper quæ diximus, vſurpanda, nam, vt obæſis pinguibus, & mol-

& molli carne præditis, moderatè calefatiẽtia, flatumq́ue cientia, sic extenuatis, & calidioribus acria, minùs conueniunt, & si quod sit impedimentum, in vasis spermaticis ac testibus, frustrâ tentabimus, his medicamentorum generibus, semen vel generare, vel prouocare. Debemus igitur (vt rectè monet Mercatus) diligenter expendere, quid causæ sit, quod seminis, aut generationem, aut prouocationem remoratur, & iuxta causarum varietatem, variam curandi rationem instituere. Communiter nihilominus hæc à medicis semen generare dicuntur, quorum (si veterum tibi compositiones non placeant) plura simul permiscebis, & additis ijs, quæ proprietate quadam occulta, venerem excitare creduntur (cuiusmodi sunt anseris lingua, cerui genitale, synosorchis, passerum cerebella, scincorum lumbi: tauri pudendum & id genus alia puluerizata) medicamentum compones, instituto tuo, quandocunq; voles accommoda-

modatissimum. Pus quid sit, satis iam antea definitum est ac declaratum, & quamuis ipsum, ad hoc, vt caro gignatur detergendum esse diximus, conficiendum tamen prius est, quam detergeatur. Conficitur autem semper à natura, vel sola, vel medicamentis adiuta. Quæ naturam, hoc est calorem naturalem, puris opificem, in hoc opere iuuant, medicamenta, suppurantia maturantia seu concoquentia vocantur, nec malè quidem intelligentibus (vt ait Galenus 2. de ratione victus in acutis text. 44.) nobis coctionis nomen, in vniuersaliore suo significato, qua ratione quicquid euincitur à natura, siue sit excremētum, siue catarrhus, siue coryzæ, siue fluentes ab his ichores, siue quid aliud, concoctū vocat Hypp. Cum igitur à natura medicamētis istis adiuta, crudus humor cōcoquatur, & in pus vertatur, q̄d vetabit, & pus concoctū, & huiusmodi Medicamenta concoquentia vocare? Signatè dico, crudum humorem, in pus verti,

verti, ne quis ex Ferneliana ſuppurationis definitione, qua dicitur, eſſe putridi corruptiq; ſanguinis, in pus exquiſitũ, commutatio, ſeducatur, & in eum errorem inducatur, vt credat fieri pus ex ſanguine, qui iam antea corruptus erat & putridus, quo nihil cogitari poteſt abſurdius: quandoquidem in abſceſſuum & vlcerum putridorum curationibus, concoquentia nunquam vſurpare debeamus, ſed ea quę materiam putridam & malignam exhauriunt & abſumunt, Vnde Galenus in vlceribus malignis, vbi materia iam computruit, nunquàm vſus eſt ſuppurantibus, ſed vel ferro, vel igne, vel cauſticis medicamẽtis, quibus putrilaginem omnem & virulentiam, nõ coerceret modò, ſed funditus etiam deleret, & noſtri temporis chyrurgi, tũ in alijs vlceribus mali moris, tum in ijs potiſſimum quæ luem venereã comitantur, vtuntur Arſenico, ſublimato, præcipitato, cæteriſquè, quibus materia maligna conſumitur, non proprie

dictis

dictis ſuppurantibus, quibus, eos magis lędi dicunt, quàm iuuari, qui contumacibus putridis & malignis vel tumoribus vel vlceribus vehementius conflictantur, ac proinde præcipiunt cum Galeno 4. de ſanitate tuenda, ne, quæ naturæ gratiam ſuſcipere nequeunt blandiore manu tractentur ſed abijciãtur penitus, & vt ait Vates, enſe recidantur ne pars ſincera trahatur. Si dicas, ipſam etiam materiam ex qua pus conficitur, naturæ gratiam non admittere? Reſpondeo, quòd quamuis perfectam naturæ gratiam non recipiat, recipiat tamen aliquam, eam videlicet, quam poteſt, ratione, tum ſui, tum agentis in ipſam qualitatis, nam experimur, genito purè, neque dolorem, neque febrẽ, neq; ſymptomatũ aliorũ, quæ prius vigebant, aliquod moleſtiam adferre, qua ſanè nota non obſcurè cognoſcimus, materiam, quæ naturæ prius erat aduerſa, nunc mitiorem ac benigniorẽ euaſiſſe. Concoquitur igitur à natura crudus

crudus humor, & adiuuantibus actionẽ naturæ medicamentis, in pus conuertitur, quo fit, vt cum similia iuuentur à similibus, sitq; calor naturalis qui coctionis author existit, moderatus, debeant etiam medicamenta quæ naturæ conatum in confectione puris promouent, esse pariter moderata, prout asserere videtur Galenus 5. simpl. 6. Quod tamen non est absolutè sic semper intelligendum, nam idem Galenus, & loco citato dicit, in aliquibus corporis partibus, quæ natura sunt calidiores, medicamẽ, quod pus mouebit, esse debere, tantò calidius temperato, quantò natura partis in caliditate temperatam exuperat, & alibi, pro maturatione puris, in alijs partibus frigidioribus, vtitur ijs medicamentis, quę temperatis sunt frigidiora, veluti quando, v. g. pus in dura meninge mouet, cum oleo rosaceo, quod est frigidum & siccum, propter crasim, quam habet oleum rosaceum, cum illa menynge communem, ac propterea

dicendum ex Galeni ſententia, ſuppurantia communiter eſſe, vel temperata, vel calida & humida, quia communiter pus in partibus, vel temperatis, vel calidis & humidis, in alijs verò rarius conficiẽdum occurrit, qua ratione ductus etiam Hypp. libr. de vlceribus, §. 2. mandat, vt apponatur vlceribus cataplaſma calidum & humidum, quoad alteratus eo ſanguis, ac calefactus, in pus mutetur. Cæterùm, non temperata modò, vel calida ſimul & humida medicamẽta ſuppurantia ſint oportet, verùm etiam emplaſtica. Nam, vt inquit Galenus, 5. ſimpl. 9. ſi ſubſtantiam innati caloris augere, non intendere qualitatem ipſam, conueniat, poros corporis obſtructos eſſe, neceſſum eſt, quo videlicet habituoſos tranſpiratus includant. Siquidem ea cataplaſmata, quæ aut detergentia, aut validius excalfaciẽtia, halitus difflari permittunt, exiccãt quidẽ, ſed pus non mouent, quippe cùm tum per ea quæ detergunt, etiãſi non admodum

dùm calefaciant, ſed quia obſtructione liberant, reſerantq́; meatus, vnâ quoq́; calor particulæ euolet, vt naturalis haudquaquam ſeruetur cõmoderatio: tum ab admodùm excalfacientibus, huius etiam non parum vacuetur, & quĩ reliquus eſt incaleſcat, ex quo fit, vt natiui caloris ſubſtantia diminuatur, ſed qualitas intendatur, quorum neutrum fieri expedit, verùm halituoſum & calidum ſpiritum contineri quampluri-mum, & ad vnguem ſymmetrum. At eſt equidem nec iſta ſuppurantium medicamentorum cõditio perpetua, poteſt namq́; calor in parte ſuppuranda tã eſſe feruẽs interdum, vt medicamentis emplaſticis incluſus, magis adhuc efferueſcens, adempta perſpiratione, deploratã putredinem atq; corruptionẽ, inducat. Quarè, Galeni de medicamentis ſuppurantibus ſentẽtia, cõmuniter erit vera, non ſemper, ſiue temperaturam ſpectemus, ſiue vim emplaſticã, hoc eſt, erunt vtplurimũ ſuppurantia tũ tẽperata, ſeu

calida, ſimul & humida, tum emplaſti-
ca, qualia ſunt, adeps omnis, animaliū
præcipuè domeſticorū, anſerinus, gal-
linaceus, ſuillus, vitulinus, altheæ radix,
ammoniacum, aqua tepida, bdellium,
butyrum, cœpa cocta, caricæ pingues,
farina triticea, galbanum, laudanum,
liliorum radices, medullæ ceruorum &
vitulorum, Oeſypus, Oxalidis folia ſub
cineribus cocta, pix mollis & liquida,
Reſina terebinthina, ſtyrax liquida,
Thus, quorum ſi quæpiam vel ſicciora
videantur, vel humidiora, ſciendum,
quòd cum eorum aliquo vix vnquàm
vtamur ſolo, tum aliquorum ſiccitas ab
aliorum humiditate corrigatur, humi-
ditas à ſiccitate. Poſſunt etiam hæc om-
nia ſic inter ſe diuerſimodè complica-
rier vt ſi veterū vti nolis, vel vnguentis,
baſilico, dialthæas, tetrapharmaco, vel
emplaſtris de ſuccis ac mucillaginibus,
& alijs ad hanc rē non inutiliter interdū
præſcriptis, poteris variam inde tibi cō-
poſitorum parare ſupellectilem, cuius
cum

tum tempori, tum loco, tum personæ congruentium, siue mitiora, siue fortiora, siue mediocria, sint ad opus & vsum accommodanda; nam quamuis omnia ferè sint in eodem ordine constituta, distinguuntur tamen mansionibus, & propterea, diuersam, hoc est, alijs, alia, maiorem aut minorem in agẽdo vim sortiuntur, prout alibi declarabitur, nunc autem ad ea quæ substantiã corrumpunt aggrediemur.

DE MEDICAMENTIS, QVAE substantiam continentem corrumpunt.

CAPVT IX.

QVemadmodum partes continentes vtiliter nonnunquàm regenerantur, ita non inutiliter interdum aut auferuntur aut atteruntur. Quis enim non videt, vel carnẽ, aut in vlceribus luxuriãtem, aut in partibus quibusdam, in quibus nasci non

deberet pullulantem comprimendam ac coercédam esse, vel cutim, quæ propter densitatem, ac continuitatem nimiam, humores malos, in corpore contentos, exire non permittit, diffringendam ac disrumpendam, vel callū in osse malè conformatum, natiuam membri figuram insigniter peruertété, & ipsius actioni plurimùm officientem denuo deterendum? Et licet hæc omnia per instruméta chyrurgica citiùs fortasse fieri possent, quàm per medicamenta, quia tamen, & illa non spectant ad hunc locum, & medicaméta tutius atque iucūdius operantur, & est contrariorum eadē disciplina, propterea cū iā antea declarauerim, quomodo possunt partes istę continentes per medicamenta regenerari, tū hîc medicamentorū etiam quibus corrūpūtur rationé breuiter attingā, & sigillatim subiūgam, quo pacto possit eorū quoduis, vel deteri, vel deleri. Caro ne citra distinctionem impingamus in portu, duplex est, vna nuda, qualis

qualis naſcitur in vlceribus, altera, quæ cute contegitur, qualis, per vniuerſum corporis ambitum, cuti proximè ſubijcitur. Nuda rurſus duplex exiſtit, vna mollior, altera durior. De nuda prius, & ipſius ſpeciebus tollendis dicam, poſtea ſuo loco quibus de cauſis, & quibus medicamentis ea quæ cute contegitur, auferenda ſit oſtendam.

Caro nuda, ſiue mollis ſit, ſiue dura, ſemper naſcitur ex ſanguine, qui, quia, non eſt eiuſdem in omnibus rationis, facit has duas in carne differentias Etenim qui ſeroſus, aqueus, & ob ichoris permiſtionem tenuis exiſtit, in carnem mollem, mucoſam, ac marcidam commigrat: qui verò pituitoſus, melancholicus, &, propter tenuiorum partium euaporationē, craſſus euaſit, in carnem duram craſſam ac calloſam tranſit. Itaq́ue cum vtraq́ue vitioſa ſit & inutilis, ac proinde medicamentis detrahenda (nam exuperantis carnis ablatio, veluti dicit Galenus 3. meth. 6. medicamētorū

ope perficitur, non opera naturæ: videlicet contrà quàm in carne restituenda, se habuit) tum dubitare nemo poterit, quin quemadmodum inter carnes has haud exigua cernitur differentia, sic inter medicamenta, quæ sunt eas corrupptura, tanta necessariò debeat esse diuersitas, vt non ęquè possint eadem vtriq; carni consumendæ, medicamenta cõpetere. Quæ namq; carnem duram detrahunt ea molliorem non tantum superficie tenùs depascerent, verum etiã altius penetrantia, quicquid est ad os vsque carnis deuastarent ac deuorarẽt: quæ verò molli carni coercendæ sufficiunt, ea, durioris, ne quidem in superficie, quicquam aut detraherent aut deraderent. Quod cum viderent veteres, tum medicamenta carnem detrahentia diuiserunt in mitiora seu debiliora quæ cathæretica nominârunt, & in fortiora seu validiora, quæ propriè septica vocârunt. Signatè dico, propriè, quia, si largius loquamur, cathęretica sub communi

muni ſepticorum appellatione cōpræhenduntur. Dicam igitur primò de cathæreticis, poſtea de medicamentis ſepticis propriè ſic vocatis. Cathæretica, teſte Galeno, 5. de med. ſimpl. facult. 2. dicuntur ab excreſcentia carne detrahenda, ſuntq́; genere quidem & facultate, ſeptica ſeu putrefacientia, ſed multò tamen ijs imbecilliora: ſiquidem extimam tantummodò carnis ſuperficiē, quam contigerint, detrahunt, in altum vero penitiuſq́; ferri non poſſunt, veluti notat idem Galenus 5. ſimpl. 15. Mediam habent, inter Epulotica, ſepticaq́; propriè dicta naturam ac cōditionem, quò fit, vt quemadmodum, loco iam proximè citato, Galen⁹ ipſa dixit eiuſdem eſſe genere facultatis cum ſepticis, ita dicat, 5. ſimpl. 16. necnon 3. meth. 6. quòd medicamenta quædam, quæ puluerizata per ſpecilli cuſpidem immiſſa, carnemq́; leuiter contingnet, ia, perducun tvlcus ad cicatricem, eadem, ſi paulò largius inſpargantur, mordicent, col-

liquétq́ue carnem, & vlcus cauum efficiant, atq; quòd cathæreticorum vicissim quædam, si parcius vsurpentur cicatricem gignant & euadant epulotica, cuiusmodi medicamentum est (inquit) vtiq́ue myrrha, lythargyrus, & combusta ostreum, & diphriges, quandoquidem & ipsa sæpenumerò cicatricem inducant sicca illita. Quæ cum ita sint, mirari nemo potest, si cathæreticorum censum incurrant & epuloticorum & septicorum quædam, prout videre licet apud Trincauellium, à quo sic recensentur. Aloe in libr. de Theriaca ad Pisonem Alumen, quod rochæ vocant, quodq́; mitescit vstione & admistione boli, Alumen Zuccarinum quod priori minus mordax est, & cõstat ex alumine non vsto, trito subactoq́; aqua rosacea & oui albumine, Hermodactylus tritus cũ fæce vini seu tartaro, cinis conchylium, vel pisciũ testaceorum, vt sunt ostrea, buccinæ, purpuræ, linamenta in muria, aut in decoctò aluminis, macerata, atq́; exicca-

exiccata, & vlceri imposita ad decipiẽdas mulieres timidas, & pueros. His fortiora sunt misy, sory diphriges, chalcitis, atramẽtũ sutorũ, sandaracha, quæ si vrantur, minus acria sunt, sed non minus desiccant; si præterea exquisitè lauentur, adhuc mitiora redduntur. Cõposita, eidẽ officio idonea, sunt vnguenta viridia, Damascenũ, Apostolorum, Isis, & Aegyptiacum. Neq; absurdũ putandum est, prius, generandæ carni, agglutinandis & cicatrice operiẽdis vlceribus accõmodata medicamenta, nunc ad consumendã carnẽ laudari, quia possunt pro diuersa symmetria illorũ, quæ vim medicamenti, vel mitigant, vel acuunt diuersis scopis satisfacere, quemadmodum Galenus passim ostendit, præsertim 2. meth. & 1. 2. ac 4. de comp. med. s. g. Præter hæc sunt pastilli quidã, vt Andronis, Pasionis, Polyidæ, descripti à Galeno, 5. de cõp. med. s. g. Pastilli ex charta cõbusta. Fernelius, simplicibus enumeratis, addit, rerum causticarum.

vt tithymalorum cinerem, pumicem crematum, salem terrefactum, aut melle duplo exceptum ollaq; noua exustũ, alumen vstum, pompholygem, plumbum vstum, antimonij seu stybij cinerẽ, qui peculiariter cancros absumit, squamam æris, æruginem, hydrargyrũ sublimatum & præcipitatum, atque cynabrium. Quibus, adijciunt alij, cinerem quercus & ficus, cæpam cum melle, nucleos dactylorum vstos, semen vrticæ, radicem vitis albę, nigrum veratrum in pollinem redactum & inspersum. Sed quæ sit cathæreticorum natura, quæ materia, satis hinc arbitror cuiuis innotescere.

Septicorum naturam luculenter expressit Galenus, 5. simpl. 15. hũc in modum, Quod in essentia crassa causticum est, id cuicunque inhæserit parti stipitis ritu infixum excruciat, verùm hoc quidem escharoticum est, proinde vt caustica. Cæterũ, de quibus nũc agitur, crustam non faciunt, & vocantur septica, hoc

ea, hoc eſt, putrefacientia, haud quidē appellatione propria: nã quæ verè ſunt ſeptica humectant ſimul & calefaciunt. Veruntamen ſymptomatis ſimilitudo, vt ſic appellemus efficit, vtpote cum ab vtriſq;, nullo doloris ſenſu fiat corruptio. Multis enim modis corrumpi quid poteſt. Siquidem quæ nimio plus refrigerata ſunt, aut excalfacta tum exiccata, aut humectata, ea omnia corrumpuntur: Cæterum, non quicquid corrũpitur, putreſcere dicimus, ſed quibus id cum fœtore accidit. Ex quibus Galeni verbis, vt apertè colligitur, quòd ſeptica debeant eſſe tenuium partium, calidiſſima ſimul ac ſicciſſima, fœtorem, in re quam corrumpunt, generantia, ſic aptè redarguuntur illi, qui contrarias habent de ſepticorum natura ſententias. Et inprimis quidem Bieſius, qui ſeptica putabat habere quandam humiditatem excrementitiã, ac proindè talē humiditatem gignere: Si namq; ſeptica quippiam haberent humiditatis cum calidi-

caliditate coniunctum, essent omnino putrefactoria proprijssimè dicta, quod tamen à Galeno negatur, gignunt auté humiditatem in vlcere, quia carnem liquant ac fundunt, & faciunt, vt vlcus & sordidius & humidius euadat, veluti notat idé Galenus 3. meth. 6. Deinde verò Montanus, qui dicit septica medicaméta non tantùm habere crassitié & (vt cũ ipso loquar) terrestrietaté, verumetiam esse posse, quarto gradu frigida, quoniá, quæ sunt frigidissima nõ minus corrũpunt, & extinguunt caloré naturalé, per qué res quæuis à putredine cõseruatur, quàm ea quæ sunt calidissima: Cũ tamé Galenus substãtię crassitié tribuat escharoticis, nõ septicis, & excludat à septicorũ notione frigiditaté, vtpote quæ corrũpat quidé, non aũt putrefaciat. Vnde Fernelius, sunt (inquit) septica, nec caustica, nec escharotica, nec crustã in nuda carne gignũt, sed summa caloris acrimonia, caloré nobis insitũ aut dissipãt, aut in igneum cõuertunt, simulq; qualitate

malig-

maligna humidum primigeniũ diſſol-
uunt,& omnem partis ſubſtãtiam tabe-
faciunt atq; colliquant & cũ fætore pu-
tredinem inducũt,quæ multò deterior
eſt, quàm ex gangręna. Quod aũt frigi-
diſſimũ eſt,& ordine velut quarto, na-
turalé certè caloré extinguit,interimit-
q́ue partem,idq́; ſenſim ac plerumq; ſi-
ne ſenſu,ſepticum tamen ipſum appel-
lare,non licet,quia videlicet, conditio-
nibus, quæ ſeptici medicamenti ratio-
nem ac notionem cõplent,deſtituitur,
& fætorem pręſertim,qui putredinem,
veluti propriũ ipſius ſymptoma conſe-
quitur,haud inducit. Materias medica-
menti ſeptici,Galenus 5.ſimp.15.ſex e-
numerat, Auripigmentũ, ꝙ Arſenicon
(inquit)Græci vocãt, ſandarachá, chry-
ſocollá, dryopterim, pityocampen, &
Aconitũ. Verùm,quoniam eorũ aliqua
multis ſunt ſuſpecta(veluti quę, venena
ta vi,ſenſim intrò ſubeuntia,præcordia
viſceraq́; feriant) alia vel non omnino,
vel non ſatis, noſtris nota temporibus,
ideo

ideo recentiores, illorum loco, ſubſti-tuunt,& vſurpant, aquam vel oleũ ſul-phuris, oleum vitrioli, præcipitatum & aquam qua ſeparatur aurum ab argen-to, necnon alia, de quibus conſulendi ſunt chyrurgorum & ſpagiricorum li-bri, nam noſtri non eſt inſtituti, fuſiùs hic omnia pertractare ſed aperire tan-tummodò præcipuos quoſq; fontes, ex quibus varij medicamentorum riuuli ſcaturiunt, ad res quaſuis non naturales abluẽdas & abolẽdas, neceſſarij. De me-dicamentis igitur, quæ nudam carnem corrumpunt, plura dicere ſuperſedeo, neque tamen propterea ſtatim accedã ad ea quæ carnem cute contectam ab-ſumunt: ſed quoniam ea caro cuti ſub-ijcitur, & citra cutis detractionem au-ferri nequit, ideo, de cute tollẽda prius dicam, deinde, quibus illa comminuẽ-da ſit medicamentis, oſtendam. Eſt au-tem cutis duplex, exterior vna, quàm cuticulam ſummã appellat Celſus, ſen-ſus expers, & veræ cutis integumẽtum.

Hanc

Hanc haud vnquam videre licet melius quàm quando diuellitur à vera cute, prout contingit in vesiculis illis, quas, vel in plantis pedum, ambulatio nimia, vel in manuum palmis, assidua rei cuiuspiam contrectatio, vel in alijs partibus, aquæ feruentis affusio concitauit: Abscedit enim tunc à vera cute, non citra dolorem insignem, quem ex contactu rerum etiam minutissimarum vera cutis persentit: interior altera, priori substrata, molem vniuersi corporis totam obtegens, ad quam omnium ferè vasorum extrema desinunt, vnde fit vt cum acerrimi sit & exquisitissimi sensus à subiecta carne, sine cruciatibus acerbissimis auelli nequeat. Medicamẽta, quæ cuticulam à vera cute deducunt ac distrahunt, quia vesiculas similes ijs, quas à causis modò dictis concitari diximus, efficiunt, vesicãtia seu vesicatoria non immeritò nuncupantur. Cum enim succi tenuiores, ab ipsis extrâ corpus tracti, ferantur ad cuticulam, nec

eam, propter ipſius denſitatem, perua-
dere valeant, tum ipſam attollunt, & à
vera cute ſeparant, vnde veſiculis iſtis
initium eſt, & origo. Subſtantiam nacta
ſunt quàm ſeptica craſſiorem déſioréq́;
propterea materiam deterunt, tenui-
orem verò, quàm alia cauſtica ſeu py-
rotica, quo fit, vt cutim quæ craſſior eſt
quàm cuticula, niſi poſt diuturnam
moram erodere non valeant: cauſticis
nihilominus cōnumerantur, quoniam
latentem in ſe continent igniculum,
cuius calor, quamuis ſit quodammodò
ſopitus, poſtquàm tamen calorem na-
tiuum experitur, mox excitatur, & ad
operandum incitatur, haud ſecus ac a-
liæ medicamentorum aliorum faculta-
tes, quæ per calorem corporis innatum
ex poteſtate (veluti ſcholę loquuntur)
in actum deduci ſolent. Vt autem id cō-
modius fiat, duo ſunt inprimis neceſſa-
ria, prius eſt, vt antequâm applicentur,
locus foueatur, abluatur, & confricetur
cū ſpōgia, quæ, vel lixiuio, vel albo vino
tepido

tepido maduerit, sic enim & sorditiés, quæ mutuum medicamentorũ & partis contactum, impedire potest delebitur, & calor innatus validior euadet: posterius est, vt in minutiores medicamenta partes findantur, & in pollinem quasi redigantur, quia sic, & caloris naturalis impressionem facilius admittét, & non modò citiùs, verumetiam mitiùs agét, nam quò crassiora sunt, eo tum tardius ad actũ deducũtur, tum postquàm actuata fuerint, vehementius, maioriq; cum molestia, suum munus exequuntur. Materia medicamentorum, vesicantium, vel simplex est, vel composita; Simplex, vt, allium, apium risus, batrachij genus omne, bryoniæ radix, cãtharides, clematis vrens, cyclaminis radix, dracõtium, euphorbium, fimus caprin⁹, ac columbinus, flãmula, lac ficulneum, lac Tithymali, lepidiũ, mel anacardinũ, narcisci radix, nasturtiũ, pyrethrum, Scilla trita, sinapi, Tartarũ vstũ, Thapsia, veratrum. Composita fit ex

istorum aut pluribus, aut paucioribus exceptis vel aceto, siue simplici, siue scillitico, vel ferméto, vel melle, vel pulpa caricarum, vel re quapiam simili: communissimum est vesicatorium compositum, quod ex cantharidibus & ferméto paratur, cuius est apud authores descriptio varia, prout modò debilius modò validius confici debet respectu partis plus minusve sentientis, cuticulæ consistentia crassiore vel tenuiore cæterarumq; circumstantiarum, quæ nũc vnum, nunc aliud exigunt. Medicaméta, quæ cuticulam permeantia, cutim veram attingunt, eamq; soluunt ac disrumpunt, caustica sunt, eò vesicantibus fortiora, quò cutis, & profundius iacet, & crassior existit, quàm cuticula. Quarè necessarium est, vt ad eam erodendã, vel generosiora quæras quàm priora, vel, si prioribus vti velis, ijs arte succurras, & illorum vim ac agendi potestatem augeas. Generosiora sunt, Misy, vitriolum Romanum, & quæ magis quàm hæc vrunt Arsenicum, Sandaracha,

cha, calx viua. Prioribus ſuccurres, eorumq́ue vim augebis, vel adiectione rei cuiuſpiam magis igneæ, vel eorum artificiali præparatione, de quibus alius eſt diſſerendi locus. Compoſitiones complures, ad hanc rem ingenioſius excogitatas, inuenies apud practicos tum recentiores, tum vetuſtiores, quas huc adſcribere, non eſt operæ pretium. Si quæ ſub cute deliteſcit caro, ſit cum cute ſimul auferenda, (quod in cauterijs, quibus materia redũdãs in corpore, vel reuelli, vel deriuari, vel intercipi, vel euacuari debet, confirmandis, arcenda putredine, ſiſtendoq́; ſanguine, nonnunquam eſt neceſſarium) tunc opus habemus medicamentis eſcharoticis, ſic dictis, quòd cruſtam, in partibus quibus admouentur gignant, vnde veluti 5. meth. 4. dicit Galenus, quantum ad cruſtam aduſtum eſt particulę, tantum ipſi profecto de naturali carne deperditur. Duorum ſunt hæc medicamenta generum, nam alia, cruſtam diutius adhæ-

rescẽtem, alia citius excidentem, faciũt. Illa non calorem tantum habent sed & astrictionem insignem, ista licet aliis calidiora sint, astrictionis tamen expertia. Posterioris generis est calx non extincta, prioris chalcitis, misy, chalcãthum, præstantiora sunt autem ea quibus crustæ cito decidentes gignuntur ad cauteria facienda: quæ verò crustam diuturniorem procreãt, & adstrictoria vi pollent, sunt, vbi sanguinem supprimere voluerimus ex vasis erosis erumpentẽ, oportuniora, quãdoquidem in earum imo sic prius (inquit Galenus) nascatur caro, quæ sit vasi velut operculum, quã crusta decidat, vnde nec nosmetipsos esse præcipites oportet ad crustas vbi hęmorrhagiæ periculũ imminet, detrahendas, præterquàm in illis tantùm affectibus, in quibus propter putredinem cãdẽs ferrũ admouere coacti sumus. Et hinc, quib⁹ de causis, caro, quæ cute cõtegitur, detrahẽda sit interdũ, & quibus id fieri debeat medicamẽtis, satis est, vti

spero,

ſpero, perſpicuũ. Cæterùm cum cruſta, quam generandam diximus, non ideo generari ſoleat, vt corpori ſemper ad hę reſcat, ſed vt tandiu tãtùm permaneat, quoad id quod intendimus acquiratur: tum erit etiam illa, ſuo tempore detrahenda. Quarè, quemadmodum ipſa, cutis ac carnis ſoboles exiſtit, & ſic ad res continentes pertinet, ita, peropportunus eſt iſte locus, in quo tradatur ipſius auferẽdæ ratio. Debet aũt citra vim ac violentiã auferri, ne dolor excitetur, & inflãmatio. Hinc medici præcipiũt, vt capillares, neruorũ, venarũ & arteriarum propagines, rarę quidẽ illę, tenues, & ægrè conſpicuæ, quæ porriguntur à ſubiectis partibus ad cutim, & eam cum carne cõiungũt, per ea, quæ putredinẽ inducũt, paulatim diſſoluãtur. Per putredinẽ hic) nec intelligimus eam, quæ propriè ſic appellatur, nec eã, quam ſuperius impropriè putredinẽ vocari, ſepticiſq; medicamẽtis ineſſe diximus: ſed eam, quam cõmuni nomine, coctionẽ

appellari posse Galenus affirmat 2. de rat. vict. in acutis text. 44. qua ratione, puris etiam generatio, coctionis ab ipso species censetur, & veteres, quæ cocta fuerunt, omnia putrefacta dicere consueuerunt, & Hyppocrates, ventrem, in quo fit coctio putrefactorium vocasse, fertur. Et hinc apparet, ea medicamenta putrefacientia per quæ crustæ decidentia procurari debet, esse quoquomodò concoquentia, quibus quatuor à medicis assignantur conditiones, nimirum, vt habeant calorem externū, tanquàm causam putredinis effectiuā, vt in obiectum incidant semiuitiatum, in quod ille calor agat, vt pars in qua cōsistit obiectum illud, insito seu spiritu seu calore robusto (qui pus optimū generare solet) abundet, ac demum vt vi polleant detersoria, qua crusta quæ firmius adhæret, ac pus paulatim abradatur. Materiam habent eādem ferè cum suppurantibus, de qua notandum hic obiter, multis ad hanc rem, in vsu butyrum

rum esse, nunc sincerum (quod Aquipendens non probat, quia valdè mollit) nunc addito sulphure vel axungia porcina. Callus, quibus de causis denuò sit deterẽdus, diximus in capitis istius initio, quod vbi faciendum erit, in Iuuene videlicet robusto, calloquè recente (nã in senibus, & callis inueteratis, id facere non est tutum) oportet, vt per multos ante dies, quàm ipsius rupturam aggrediamur, callum emollire conemur medicamentis humidis & relaxantibus, nempe vel perfusionibus ex maluarum & altheæ decoctionibus, vel fotibus ex iure capitis & intestinorum arietis, in quo bullierint emollientia, vel frictione multa cum digitis imbutis Oesypo, vel vnguentis & emplastris mollientibus, de quibus suo loco dicetur fusius; ac tum demum, tentanda ruptio, facta cũ manibus ambabus, aut digitis saltem prioribus, leui, vel impulsione, vel compressione, quæ tamen callo frangendo sufficiat.

DE MEDICAMENTIS, QVIbus ſubſtantia contenta corrumpi ſolet.

CAPVT X.

SVbſtantia contenta, quæ, quotuplexq́ue ſit, & quo pacto generari poſſit, ſupra ſatis fusè declarauimus, & oſtendimus, ex omnibus ipſius ſpeciebus, ſolum venenum generandum non eſſe: nunc autem, cum, de ſpeciebus ipſius corrumpendis, ſimus acturi, tum id etiam volumus admonere nimirum, quòd ex ipſis omnibus, ſolus ſanguis, medicamentis nec minui debeat, nec corrumpi, quo fit, vt de quatuor tantùm medicamentorum generibus, ijs videlicet, quæ lac, quæ ſemen, quæ pus, & quæ venenũ abolere valẽt, habẽdus à nobis ſit in hoc capite ſermo.

Lac (inquit Auicenna) quando ſuperfluit plurimùm, nocet, & apoſtemata, & alias affert ægritudines: quare

ne quid horum ex nimia lactis copia contingat, minuendum ipsum interdum est, & omni dubio procul à superfluitate vindicandum. Minui verò dicitur, quando, vel impeditur ipsius generatio, vel quod genitum est absorbetur & absumitur. Impeditur ipsius generatio, si sanguinis vel copia nimia nasci prohibeatur, vel assiduus ad mammas motus retardetur: diximus enim superius, sanguinem esse solam generandi lactis materiam, & ipsum, nisi confluat ad mammas, in lactis naturam commigrare non posse, solis namquè mammis ea vis inest qua sanguis in lactis substantiam mutatur. Ne sanguis copiosior gignatur, genitusque redundet in corpore, medicamentis haud efficitur, sed attenuante partim victus ratione, partim frequentiori sanguinis missione: ne tamē ad mammas assiduo motu feratur faciunt medicamenta repellentia mammis applicita, qualia sunt cicuta, lactuca, lens palustris,

Mandragora, Nymphæa, papauer, portulaca, ſemperuiuum, ſolanum, & id genus alia, quę, quâ conſtringunt, & occludunt vias, ac vaſa, faciunt, ne ſanguis ad mammas liberè fluat, quâ verò refrigerant, caloris concoquentis, & lac conficientis, vires infringunt. His igitur modis lactis impeditur generatio. Si verò copioſior collectus in corpore ſanguis ad mammas iam confluxerit, & ab ijs in lactis ſubſtantiam conuerſus fuerit, genitiq; propterea lactis ſit aliquid detrahendum, agendum id erit medicamentis deſiccantibus & diſſipantibus, cuiuſmodi ſunt Agni caſti ſemen, crocus, cyminum, farina fabarum ac lupinorum, ocymum, ruta, ſerpillũ, & ſimilia, quorũ aliqua, putãtur illud propria quadam virtute præſtare, prout, de croco, dicit Mercurialis, & cymino, mulieres Italas credere, quia lõga quadam experientia doctæ, didicerunt, ea ſi collo ſint appenſa, lac notabiliter abſumere, nec ſciunt, quòd id ipſa faciant, ob

vim

vim quam habent ſua natura deſiccantem. Et hæc eſt lactis, quod vel iam genitum eſt, vel gigni poteſt, copioſioris corrumpendi ratio, quam ſi quis ad vſum accommodare velit, videat inprimis, an poſſit paucioribus ac mitioribus quod intendit perficere, deinde nũ ſimplici vel duplici facultate ſit agendũ hoc eſt an vel ſolis repellentibus vel ſolis exiccantibus vel vtriſque ſimul medicamentis ſit opus, & cautè tandem, exigente neceſſitate, ſic omnia præſcribat, vt mulierum alioquin bene valentium, & ob laſciuiam ſolam lactationis moleſtias declinare volentium cupiditatibus, plus, quàm par eſt, indulgens eas aut in valetudinis diſcrimen, aut in magnum, ex paruo periculum inducat, nam eſt ſanè turpe, ſi vel ſanis morbos adſciſcamus, vel dum exiguum malum auferre conamur, maius aliquod inferamus.

Semen dupliciter corrumpi poteſt, nempe quoniam ipſius vel materia cõ-

ſumi-

ſumitur, vel motus inhibetur. Ipſius rurſus materia, duplex eſt, actualis, videlicet, & potentialis. Actualem vocamus eam, quę genuinam formam admiſit, & verè iã eſt ac dicitur ſemen: Potentialẽ, illam, quæ quamuis nondum ſit ſemen, in ſeminis tamen ſubſtantiã commutari poteſt. Hęc, cũ ſit ſanguis, tũ ſi ſanguis minuatur eo modo, quẽ, de lacte loquẽtes, propoſuimus, fieri nequit, vt ſemẽ copioſius colligatur, vndè natũ illud, ſine cerere & Baccho friget Ven9, hoc eſt, ſublatis ijs, quæ ſanguinẽ augent, augeri ſemen, eſt impoſſibile: Illa verò medicamentis abſumitur. Sunt autẽ hęc medicamenta triplicia, nam quædã occulta, quædam manifeſta, quædam, miſta qualitate ſemen extinguere dicũtur. Et occulta quidẽ qualitate dicitur cynoſorchis minor, hoc eſt, minor cynoſarchidis radix ſeminis ſubſtantiã deſtruere, veneremq; non minùs cohibere, quàm maior ipſam ſtimulat. Quod etſi Galen9 temperamento tribuat, quoniã ſiccior eſt (inquit) & calidior, quàm maior, quis

tamen

tamen credat eiuſdem omnino plantæ radices, tantum habere temperamentorum varietaté, vt & vires planè contrarias obtineãt, & actiones è diametrò proferant ſibi penitus aduerſiſſimas & vt ita dicam pugnantiſſimas? Eorum quę manifeſta qualitate ſemen extirpare dicũtur, quædam frigida, quædam calida ſtatuuntur à medicis. Frigida, calorem ſeminis cauſam efficientem extinguunt, vt Camphora, Cucumeres, Cucurbitæ, hyoſciamus, lactuca, lens paluſtris, nymphæa, oxalis, plantago, portulaca, roſa, ſuccus mali citrij, viola: calida ſubſtãtiã ſpernaticã diſſipãt ac diſſoluũt, vt agnus caſtus, anethũ, calamentha, cannabis ſemen, cyperus, mentha ſicca, origanũ, piper nigrũ, pulegiũ, ruta, quorũ etiã aliqua, facultaté habere miſtã, & qualitate, tũ manifeſta, tũ occulta ſemen corrũpere, feruntur, ex frigidis quidé, cucumeres, & lactuca, ex calidis aũt Agnus caſt⁹, mentha, ruta, veluti videre licet, apud callimachũ, Græcos geoponicos, Athenæũ, Mizaldũ, Dioſcoridé, Roberrum,

Stehpa-

Stephanum, Aristotelem, Trallianum, & alios. Motus seminis, reprimitur medicamentis, partim ijs, quæ materiam ipsius minuunt, quacumque demum id ratione præstant, partim illis, quæ segnitiem inducunt, & ipsius acrimoniam obtundunt, qualia sunt, quæ frigiditate pollent, & hæc vtraq;, sunt ex superioribus satis perspicua: partim ijs, quæ vias ac vasa constringunt, cuiusmodi sunt, ex simplicibus, bolus Armenus, corallium in puluerem redactum, eboris rasura, fructus oxyacāthes, Lemnia sphragis, malum cotoneum, margaritæ puluerizatæ, Rhus obsoniorum, vua acerba, quæ vel cibis inspersa, per os exhiberi, vel conuenientibus excepta liquoribus, exterius adhiberi queunt: ex compositis, syrupus aut ex rosis siccis, aut myrtinus, aut ex succo cydoneorū, aut similis quispiam propinatus, & oleum rosaceum, myrtinum, ac cydoneorum, vel vnguentum rosaceum, vel cerotum infrigidans Galeni, Santalinū,
aut

aut id genus aliud, foris, circa renes, pubem, & perinæum vſurpatum, quibus omnibus ſi quis contentus haud ſit, ad ea recurrat, quę traduntur à practicis ad gonorrhæam vtilia, nam ſunt etiam ea præſenti negotio non parùm proficua.

Pus corrumpere dicuntur à Medicis ea, quę, vel materiã ex qua fieri deberet diſſipãt ac diſtrahũt, vel ipſummet iam cõfectũ aut inſéſibiliter aut ſenſibiliter exhauriũt. Ad diſpellendam puris materiam, ipſumve pus elaboratũ, ſenſim ac ſine ſenſu conſumendum valent ea, quæ digerentia ſeu diſcutiẽtia propterea vocantur, quòd humores in parte quapiam cõſiſtentes, per meatus quoſdam ſenſibus minus conſpicuos educant. Vnde Galenus 13. meth. 16. dicit humorem, qui cõtinetur in aliqua parte phlegmonèm patiente, diaphoreſi, ſeu digeſtione vel euaporatione facta per meatus inſenſibiles educẽdũ: & eiuſdem lib. cap. 5. pus aliquod notabile cõtentum in ſuppurante particula per ex

halationem digerendum esse. Medicamentorum istorum, quædam imtiora sunt, vt Althæa, Calamentha, chamæmilla, farina fænugræci, lupinorum & milij, hyssopus, liliorum alborum radices, marrubium, melilotus, mentha, origanum, pulegium, Satureia, Thymus: fortiora quædam, vt calx extincta, galága, nitri spuma, nitrum ipsum, sulphur viuum, ex quibus, quæ sint vsurpanda, docebit & dispositio cutis, & materiæ, siue purulentæ, siue nõdum in pus cõuersæ, qualitas, quantitas, ac situs, nam cutis astrictior, durior, densior, & materia multa, crassa, profunda requirét medicamentum validius, contraria debilius, siue simplex illud sit, siue cõflatum ex istorum pluribus, & in fomenti, vel cataplasmatis formam, redactum. Ad pus confectum sensibiliter exhauriendum (ne scilicet serpat, & cuniculos agat, arteriasq;, venas, neruos, ac vicina corpora depopuletur, & faciat, vt ossibus attritis, cutis liuescés, in rugas, quasi senio

ſenio marceſcens, contrahatur) ijs vti debemus quibus mox & locus aperiatur & pus educatur. Aperitur locus, vel ferro, vel medicamentis, verùm de ferro nobis hic agendum non eſt, & medicamenta, quæ cutim rumpunt, ſuperiori capite ſunt à nobis relata. Pus, poſtquàm locus apertus eſt, educitur medicamentis deterſorijs, ijs videlicet quæ vulneribus ac vlceribus detergendis, hoc eſt, à pure liberãdis ſunt dicata, q; ideo dixerim, quia, cum triplices ſint medicamẽtorũ deterſoriorũ differẽtię, quarũ vna continet ea, quę cutis ſordes, partim humiditate, partim lubricitate, partim aſperitate, molliũt, reſoluũt atte nuant, ac auferũt, & cutim terſam ac politã reddũt, alia, quæ, cõplectitur ea, quę materiã, in viſcerũ, vel capacitate cõtẽtam, vel ſuperficie firmatã, vel membranis ac poris imbibitam eliciunt, & eximunt, quo nomine cenſeri poſsunt incidentia, tenuantia, lenientia, molliẽtia, purgantia pariter & aperientia, tertia cuius complexu coercentur ea

quæ vulneribus ac vlceribus depurandis conueniunt: tum, nisi sic signatè digitoque velut intento monstrarem, quid nomine detergentium Medicamentorum hic intelligi velim, posset quis, ignoratis his ipsorum differentijs, ex detersoriorum catalogo quopiam, in quem à nonnullis, in vnum quasi cumulum, seu rudem potius ac indigestã molem, cuiusuis generis detersoria, sunt, absque discrimine, collecta simul atque coniecta, pro medicamentis, quę pus detergere deberent, ea sumere, quæ rebus alijs detergendis oportuna, vulneribus ac vlceribus depurandis essent inimica, nec tam pus minuerent, quàm (colliquata veluti Galenus ait, partis ipsius substantia) puris copiam augerẽt, & dolorem in ea vehementissimũ ac inflammationem haud ferendam excitarent. Pus igitur educendum erit medicamentis detersorijs, non quibuslibet, sed ijs tantùm quorum naturam capite 7 declarauimus, & quorum hic exem-

pla (nam aliorum deterſoriorum naturas ac materias alibi declarãdas eſſe nemo non videt) ſubijciemus. Horum duplex genus, vnum, quod immittitur aut ſuperponitur, alterum, quod iniicitur. Prioris generis materię ſunt, Ammoniacum, apium, Ariſtolochia, Carduus benedictus, centaurium, charta vſta, ceruſſa, concharum vſtarum cinis, farina cicerum, fabarum, hordei, lupinorum, galla, gentiana, Hypericum. Iris, marrubium, mel, vel ſimplex, vel roſaceum, oxymel, ſaccharũ, Terebinthina, thus, & ſimilia, quorum alia cum alijs ſimul permiſta poſſunt in varias compoſitionum formas redigi, ſi quis nolit, ijs, quæ ſunt à veteribus dudum compoſita, medicamentis vti; Poſterioris generis materiæ ſunt, aqua, vel aluminoſa, vel ſalſa, lixiuium, mulſa, ſerum lactis, vinum, vrina, quæ, proluendo puri, ſi cum ſyringa vel ſiphone ſint iniecta, ſunt accommoda. Quòd ſi verò, medicamẽtis iſtis, pus aut erui nequeat, aut elui, tunc, vt

foras proliciatur, opus erit alio medicamenti genere, quod quia trahere creditur ex alto, res eas, quæ parti cuipiam firmius inhærent, attrahēs appellatur, cuius potestates & paradigmata (quoniam huc propriè non spectant) suo postea loco, citra confusionē, & prout nostri feret instituti ratio, fusè satis perquirã & persequar. Quæ venenis aduersantur, etsi, pro varietate venenorũ, varia sint, & singulis ferè debeantur singula: quia tamen ea (veluti notat Galenus 5. simp. 18.) duobus olim quasi carceribus concludi communiter solebãt ab antiquis, & vel ad Alexipharmaca vel ad alexiteria referri, propterea, de duobus istis sic seorsim agam, vt, sub ijs, pleraq; venenorum remedia, cõplectar. Alexipharmacorũ nomine non aliter hic vtor, quàm vtebantur eo veteres Galeno teste, loco iam proximè citato, nimirum ad ea medicamenta denotanda, quæ venenis, per os sumptis, haustisue medentur. Et quamuis Gorræus in definit. med. putet

Ale-

Alexipharmacum id potius esse dicendum quod per os sumptum à deleterijs pharmacis homines vindicat, cum tamé haud videã qua ratione possit istud probabilius defendi quàm illud, sintq; nonnulla, quæ veterum sententiæ non mediocriter videntur astipulari: tum vt vocabulum medicamétis istis ab antiquis impositum accipio libéter, & admitto, sic ipsius notionem ab ijsdem vsurpatam retineo diligenter, & inuitus dimitto. Medicamentorum horum exempla sunt, Acetosa, Agaricus, Angelica, Anthora, Aristolochia, Arãtia, Asclepias, betonica, bezoar, bistorta borrago, botrys, buglossa, Calamentha, Calamus aromaticus, calendula, carduus benedictus, Castoreum, Chamædrys, Chamæpytis, cornu ceruinũ, cost⁹, cynamomũ, Daucus, diptamnus albus, diptãnus cretic⁹, Doronicũ, Ebur, fragméta pretiosa fraxinus, garyophy lorũ flores, Galega, Guaiacũ, hederæ baccæ, heleniũ, herba paris, Hypericõ, Imperatoria, Iris, iuniperi baccæ lauendula, lauri baccæ, lénia

lignum aloes, limones, maiorana, mala citria, meliſſa, monocerotis cornu, Napus, nardus Celtica, nuces Iuglandes, Ocymum, opoponax, Os de corde cerui, Pæonia, Paſtinaca, pentaphyllum, pimpinella, polium, Rhabarbarum, Rhapõticum, Roſa, Ruta, Salſaparilla, Saluia, Santalum, Saſſafras, Scabioſa, Scortzonera, Securidaca, Scordium, ſeſeli, tum Æthiopicum, tum Maſſilienſe, Stęchas, ſucciſa, Thlapſi, Tormentilla, Valeriana, Verbenaca, viola, viſcum quercinũ, Vngula Alcis, Zedoaria, necnon alia multa, quæ quamuis (vt ait Bieſius) in vniuerſum omne venenum, præcipuè verò luem peſtilentem reſpiciunt, additione tamẽ eorum, quæ particulatim ſingulis venenis deſtinantur, huic aut illi veneno profligando reddi poſſunt peculiaria. Per Alexiteria, cum antiquis etiam, intelligimus ea medicamenta, quæ venenum à beſtijs, aut aliâs inflictum ſanant, quorum alia, per os intrò ſumuntur, vt præter ea quæ iam diximus,

ximus, Alyſſon, Cardamomum, Echiũ, Ericæ tum coma tum flores, glandes, Hyſſopus, Serpillum, Sabina, ſmilacis aſperę acini, Tribuli terreſtis ſuccus, vitium cinis ex aceto potus: alia foris apponuntur, vt ea, quæ trahere credũtur, manifeſta qualitate quapiam, vt Alliũ, cæpa, cantharides, euphorbium, fimus columbinus, porrum, pulegium, Scilla, Sinapi, Thapſia, veratrum nigrum, & alia quàmplurima: vel proprietate, ſeu ſubſtãtiæ ſimilitudine quadam, vt ſcorpius, vipera, mus araneus, crocodilus, & aliæ beſtiæ non paucæ, quæ ſuis aut ictibus aut morſibus, ipſę, vel adipe, vel hepate proprio, vel ſe ſolis, diſſectis, attritis, & appoſitis, mederi dicuntur. Et in genere quidem hæc omnia tam Alexiteria quàm alexipharmaca (veluti monet Galenus) duplicem habent naturã, Siquidem quædam alterant, quædam euacuant ex corpore patiente, ſeu venenum corrumpens, ſeu deleterium medicamentum: Alterant rurſus, aut

vna qualitate, aut duarum coniugatione, aut deniq; tota substantia, Euacuant totius substantiæ similitudine, & caliditate subtilium partium.

Quatuor istis, substantiarum contẽtarum, quarum nonnunquam expetitur corruptio, generibus addi potest flatus, qui quãtos in corpore cruciatus excitet, ex vno coli dolore satis euidenter elucet, ob cuius vehementiam, vt ait Galenus 2. de comp. med. s. l. 1. quidam animi deliquio compræhensi, mortui sunt, alij manus ipsi sibi violentas inijcientes seipsos occiderunt. Quarè, cum fiãt flatus à calore debili materiam crassam ac viscidam occupante: tum medicamenta, quæ sunt ipsos corruptura, talia sint oportet, vt & calorem imbecillum ac debilem adaugeant, & materiam viscidam ac crassam incdant & attenuent. Huiusmodi verò sunt (inquit Galenus 12. meth. 8.) flatum discutiẽtia, quę scilicet calefaciunt, siccant, tenuãt, potissimùm tamen si non vehementer calefaciant, quippe lenti omnes crassiq;

& fri-

& frigidi humores, ab ijs, quæ calefaciũt nisi valenter etiam digerant, liquantur ac in flatum mutantur, nec ab vllo magis meuendum est in eiusmodi succis, quàm a calore qui eos liquet atq; in flatum vertat, sed digerere non valeat. Ex quibus Galeni verbis, sunt qui colligũt, & concludunt nec non contendunt acriter hoc medicamentorum genus esse debere primo tantum ordine, vel 2. calidũ, nam q, ordine tertio vel quarto calidum existit, vehemẽter (inquiũt ij) valenterq; calefacit, & facit propterea flatus, nõ fugat: sed isti Galeni sanè mentem non assequũtur, nam Galenus, simpliciter & absolutè, nõ damnat ea, quæ valenter ac vehemẽter calefaciunt, sed conditionaliter, si nimirum humores lentos & crassos liquent & in flatum mutent, flatum antem inde confectum digerere nequeãt. A csi diceret ea, quæ valenter calefaciunt, si quàm valenter liquant, tam valenter haud digerãt ad flatus corrũpendos non cõueniũt, quoniã non minuunt sed augent affectiones flatuo-

flatuosas: at verò si quod liquant, & in flatum vertunt, vnâ quoque dissipare valeant, etiamsi vehementer calefaciãt, damnari nec debent nec possunt. In exemplum adducitur Allium, quod quãuis valenter calefacit quia tamen flatus genitos valenter etiam discutit, & quẽ ex humoribus crassis flatum gignit denuò digerit à Galeno plurimum commendatur. Ac ratio quidem plane cõmonstrat, quòd ad flatus discutiendos ac dissipandos vti cogamur nonnunquàm calidioribus medicamẽtis, quàm sunt ea, quæ consistunt, in ordine vel primo, vel secundo, debeamusq́ue sæpe variare medicamenta pro maiore minoreve, partis densitate, flatulenti spiritus crassitie, mẽbri caliditate, loci profunditate, sensusq́ue tum acumine, tũ hebetudine. Et hinc fit, vt, qui medicamentorum istorum seriem accuratiùs tradunt, flatuum prius differentias proponant, & dicant, alios intra corpus, & in viscere quopiam, alios in exteriori corpo-

corporis habitu consistere, posteriores, admotis, priores tum admotis, tum assumptis discutientibus depelli, rursusque, prout illi vel facilius vel difficilius depelluntur, ita discutientium medicamentorum tum eorum quæ per os exhibentur, tum eorum quæ foris adhibẽtur, quædam validiora, quædam debiliora constituunt. Eorum quæ per os sumuntur, mitiora statuuntur Acorus, anethum, anisum, baccæ Iuniperi Cuminũ, enula, fæniculum hortense, melissa, nux moscata, petroselinum vulgare: fortiora sunt, allium, calamus aromaticus, cardamomum, cynamomum, cyperus, daucus, Eryngium, fæniculum agreste, galanga, gentiana, lauri baccæ, maiorana, melanthium, nasturtium, Origanum, petroselinum macedonicum, piper, pyzethrum, Rosmarinus, ruta, Thlaspi, Zedoaria, Zinziber. Eorum quæ foris applicantur debiliora sunt adianthum, althæa, aqua tepida, butyrum, carica, chamomilla, fænugræcum

cum, furfures, hordei farina, lini ſemen, malua, melilotus, Mercurialis, milium torrefactum & ſimilia: Validiora ſunt Abrotanum, anethũ, aniſum, bitumẽ, braſſica, cyminum, farina lupinorum, fumaria, galbanũ, Iris, mel, nigella, pix arida, Terebinthina, Valeriana, quibus adhuc valentiora ſunt, Bryonia, Cyclamen, haſtula regia, maiorana, mentha, naſturtium, origanum, pulegium, ſabina, Sagapenũ, ſulphur, & id genus alia, quæ ſuperius diximus appellari digerẽtia, quibus accedunt etiam attrahentiũ nonnulla, dicit namq; Galen⁹ 6. de cõp. med. ſ. g. 13. quòd quę trahunt, etiam omnino nonnihil diſcutiant, & quæ diſcutiũt, pariter trahãt, verùm in digerẽtibus (inquit) medicamentis diſcuſſoria virtus, in trahentibus attractrix prępollet. Sed de trahentibus medicamentis, alius erit dicẽdi locus, ſoli iam igitur ex contentis ſupereſſent corrumpendi, pediculi, lumbrici, lapideſq;. Verùm, quia pediculis & lũbricis enecandis, res quæ-

uis

ijs amarissimæ conueniunt, quarũ infinita pene multitudine referti sunt practicorum libri: Medicamenta vero, quę lapidibus, tum cõminuendis, tum educẽdis inseruiũt, alibi sunt à nobis explicãda, propterea, tractationi de medicamẽtis, quorũ motus & actio terminatur ad substantiam, hic finem imponemus, aggressuri nunc ea, quæ quantitatem habent sibi pro termino præfixam.

DE MEDICAMENTIS, QVOrum actio terminatur ad quantitatem.

CAPVT XI.

CVM tam firma sit quantitatî cum substantia familiaritas, & tam arcta societas, vt vix vnquàm, vna seiuncta reperiatur ab altera, quantumuis re rationeq́ue distinguantur ab inuicem, cumque nonnulli, q̃a viderũt eas ambas, è naturæ gremio, simul ac semel exilientes, & eodẽ quasi partu prodeũtes, necnõ pari penit⁹ passu sic

ſic ſemper incedentes, vt vbi ſubſtantiæ particula quæpiam, vel adijciatur, vel detrahatur, mox etiam quantitas vel augeatur, vel minuatur, arbitrati ſint ab eadem vtramque potentia procedere. Cum demum nos experiamur ipſi, quod ab eiſdem medicamentis, & generentur ac augeantur, & corrumpãtur pariter ac minuantur, caro, ſanguis, lac, ſemen, & id genus alia, tum haud equidem operæ putamus pretium, vt poſtquàm iam de medicamentis, quibus ſubſtantia quæuis tum generatur, tum corrumpitur, ſufficiẽter egerimus, eandem ſeu telam veluti retexentes, ſeu cantilenam concinentes, medicamentorum etiam eorum, quæ quantitati tũ augendæ, tum minuendæ, deſtinata ſunt, notiones rurſus ac naturas explicamus. Atque, ne quis miretur, quòd dicamus, ſanguinem, lac, & ſemen augeri, cum augmentatio ſit affectio ſubſtantiæ tantummodò continentis, & viuentis, humor autem aut liquor, in

nobis contentus, nullus viuat, volumus vt is intelligat nos augmentationis nomen non tam presſè ſtrictéq; ſumere, quàm ſumitur à philoſophis pro ſola videlicet ea quæ fit per intus (vt illi loquuntur) ſuſceptionem, ſed eam, à nobis, eo quoque nomine comprehendi quæ per iuxta (vt illorum verbis vtar) poſitionem contingit. Cæterùm vt demus, inquit aliquis, quòd ad rerũ prædictarum quantitatem aut augendam, aut minuendam, ea medicamenta ſatis ſint, quibus, ipſarum ſubſtantia, vel generatur, vel corrumpitur: Cum tamen alia nonnulla vitia contingant in quantitate, nũc continua, nunc diſcreta, numerus, v.g. deficiens aut excedens, partis alicuius aut gracilitas aut obeſitas nimia, tumor deniqúe præternaturalis, & ſimilia, tùm dicas porrò quibus illa medicamentis emendari queant.

Quarè, quod ad primum attinet, dicendum, in prima partium conformatione numerum interdum excedere, veluti

dum ſextus digitus accedit, qui manũ aut pedem non deformem tantùm, verumetiam actioni ſuæ præſtandæ minus connenientem facit: & eum tolerandùm potius eſſe quàm tollendum. aut ſi tollendus ſit, non tam medicamẽtis auferendum, quàm chyrurgicis inſtrumentis amputandum eſſe: nonnũquam etiam partem aliquam vel à principio generationis, deficiente videlicet materia deſiderari, vel poſtquàm in lucem editus eſt homo, caſu quopiam amitti, quam fruſtrà, vel medicamentis vel alijs machinamentis quibuſcumque conaberis efformare. Nam quamuis Parçus toto libro vigeſimoſecundo ſuæ chyrurgiæ pulchrè declaret, qua ratione talis defectus cælari poſſit & occultari, factitijs in locum deficientium partibus ſubſtitutis, non tamen aut is, aut alius quiuis efficere valuit vnquã, vt ijſdẽ functionibus omnibus, ad quas eç, quæ producũtur à natura, ſunt deſtinatæ, facere poſſent ſatis. Et licet Taliacotius

tius i

tius, medicus Bononiensis celeberrimus, duobus libris, quos de curtis inscripsit, eleganter ostendat quo pacto possit aliquid, quod in labijs, auribus, & narium alis deficit, ad naturæ quandam imitationem artificiosè restitui, non tamen fieri posse dicit vt vel eæ vel aliæ partes integræ restituantur, nec id molitur medicamentis sed varijs sectionibus, suturis, deligationibus, turundis, & alijs præsidijs quibus efficitur vt curtis adnascatur & accrescat, tum materia reliqua tum cutis, & omnia simul conformentur ad eius quod desiderabatur effigiem, roburque demùm mancišcantur, & debitam consistentiam. Ad secundùm quod spectat, dicendum maciem ac tabem parti, cuipiam aduenientem, ab ea pelli partim producta, partim ad ipsam perducta sufficienti materiæ copia. Materia producitur, ex conueniente cibo, qui qualis ac quantus esse debeat, & quo tempore sumi,

non eſt, quòd hic dicamus: perducitur autem ad partem emaciatam, tum medicamentis trahendi vim habentibus de quibus paulò poſt acturi ſumus, tum motu, frictione, ligaturis, percuſſione leui cũ vrticis, picationibus, cucurbitulis, balneis, fomẽtis & id genus alijs, quæ proponuntur à Galeno tum 7. meth. 6. tum alibi. Remedia (dicit Bieſius) alia ſunt contra quantitatis exceſſum, & illa rurſus, vel creſcere corpus prohibent, vel auferunt illud quod nimium increuit. Prohibetur incremẽtum, vel ſi materia non ſit, vel ſi auferatur. Vt materia non ſit, tenuitas alimenti facit; Aufertur vel trahendo, vel repellendo, vt ſi trahatur in partes oppoſitas aut vicinas. Trahitur etiam extra corpus vel materia coniuncta, vel ſaltem antecedens purgatione, ſanguinis miſſione de quibus poſtea dicemus. Repellitur ijs quæ frigida ſunt & conſtringendi poteſtatem habent, ſed ea quę productam quantitatem auferunt magis ſunt huius

ius loci, quæ quidem cõtinuationẽ corporis dissoluunt. Antea vero diximus (inquit) ab humore quopiam corpus nostrum continuari, quo deficiente; necessariò dissipatur. Defici t, vel ab eo, quod educendi, vel ab eo, quod corrũpendi facultatem habet. Educit quod vehementer calidum est, & hoc etiam corrumpit. Frigus etiam (ait) vehemens diximus exprimendi vim habere. Quædam formam contrariam, & corruptricem habent, à qua forma nostri corporis euertatur: Cum forma autem necessarium est corporaturam dissolui, cum ab ea sit comprehensa. Humiditas etiam laxando, tanquam continuum dissoluit: sed hæc seriùs opus suum exequitur, quàm vt nobis seruire possit, & etiam nimia siccitas dissoluit, verùm hæc solet cum calore coniungi, quemadmodum etiam, quod putrefaciendi vim habet. Dissoluit etiam corpus nostrum non tantùm qualitas, sed impetus corporis durioris, pręsertim

ſertim ſi ſit acutum veluti ferrum. Nihil autem quàm hoc paratius eſt ad quantitatem auferendam, & ob id eò ſæpius vti ſolemus. Interdum etiam qualitatem igneam addimus, vt dum candens ferrum admouemus, quod cauterium appellant. Frequenter vtimur ijs, quæ potentiam vrendi habent, quæ ſuperficiē abradūt, quæ cathæretica erodentia & exulcerantia dicuntur: nam quæ frigore corrumpunt, nobis perinde non ſeruiunt, quia ſegniora ſunt, & perdunt etiam partes vicinas, &c. Sed horum aliqua non ſpectant ad hanc tractationem, alia vel ſuperius à nobis explicata ſunt, vel inferius ſuis quæque locis oportunè tradentur. Ad tertium demùm dicendum, tumorem qui partem aliquam obſidet, repellentibus ac per halitum digerentibus, (quæ qualia ſint, partim iam antea diximus, partim poſtea dicemus) oppugnandum eſſe: quibus ſi nequeat expugnari, neceſſarium eſt, vt humor in eo contentus

tentus, in pus vertatur, rupta vomica, pus detergeatur, caro generetur, vlcus consolidetur, ac cicatrix tandem inducatur, quibus omnibus ritè peragendis, quæ medicamenta conueniunt, superiori tractationis huius parte, satis apertè declarauimus. Hæc igitur, de medicamentis, quorum actione quantitas corporibus, aut accedit, aut decedit, dicta sufficiant, & ad ea iam veniamus, quibus qualitas aliqua, vel acquiritur, vel aufertur.

QVOD MEDICAMENTORVM aliquorum actio terminetur ad qualitatē, & quod eorum alia, primam, alia secundam, in corpus humanum, qualitatem imprimant: Quæ sit illorum, quæ primam imprimunt, natura, notio, diuisio, materia, noscendorumq́; ratio.

CAPVT XII.

ESSE medicamenta quædã, quæ sic in corpus humanum agunt, vt ipsum qualitate quapiam afficiant, non modò sensu rationeque, verùm etiam communi tum philosophorum, tum medicorum omnium consensione docemur. Medici namq́; quotquot medicamentum definiunt, per alterationem, ipsum definiunt, & alterationem philosophi qualitatis alicuius, in corpus quod alterari dicitur impressionem esse pronunciant. Cum autem quæ per eiusmodi medicamenta fit altera-

teratio, sit interdum, & propriè dicatur curatio, curatio verò morbi corruptio, quam per contraria semper esse perficiendam, & Hyppocrates, & Galenus, & omnes omnino medici monent, vtpote, quibus nihil est in ore frequentius, quàm contraria contrarijs curari: tum, vt cognoscamus, per quas qualitates, medicamentorum istorum quoduis, in corpus agere debeat, & ipsum alterare, morbumque corrumpere, vidēdū inprimis erit, à quibus potissimùm qualitatibus morbi producantur, sic enim haud obscurè conspiciemus, quibus qualitatibus ea medicamenta pollere decet, per quæ morbos illos pellere nobis licet. Iam verò quotus est quisq;, qui non experitur qualitates, à quibus corpus potissimùm læditur, esse, vel caliditatem, frigiditatem, humiditatem & siccitatem aut ad mediocritatem redactas, aut excedentes, modò seorsim singulas, modò binas ac binas mutuo quodam quasi connubio simul inter se con-

iunctas, vel duritiem, mollitiem, craſſitiem, tenuitatem, aſperitatem, læuorem, & id genus, alias? Et illæ quidem primæ propterea dicuntur, vel quòd primis corporibus debeātur, vel quòd ab illis aliæ qualitates omnes oriantur, illæ vero priores à quibus ortum accipiunt, non agnoſcant; hæ verò vocantur ideò ſecundæ, quòd à prioribus illis originem trahant: quo fit, vt cum, caliditate, frigiditas, humiditate, ſiccitas, induratione mollities, emollitione durities, & aliarum quæuis, ſiue ſolitaria ſit, ſiue cum alia coniungatur, aduerſa ſibi qualitate tollatur, tum certum etiam ſit, quòd medicamentorum quoque, quibus affectum ab ijs malè corpus iuuatur, alia primis, alia ſecundis qualitatibus imbui, ſit neceſſe. Quibus hunc in modum conſtitutis, conſequēs eſt, & rectæ docēdi rationi cōſentaneū, vt de priori, primùm, poſtea, de poſteriori medicamentorum iſtorum genere, ſermonē inſtituamus. Galenus vbicumq;

cumq́; de medicamentorũ facultatibus agit, facultates eorum primas qualitates ipſorum primas appellat, & ait, ab iſtis, medicamenta ſuam accipere denominationem, &, vel calida, vel frigida, vel humida, vel ſicca, vel in duabus qualitatibus primis excedentia, vel in omnibus omninò tẽperata dici ſolere. Verũ, ne quis hic hallucinetur, intelligẽdum illud eſſe cõparatè, dicit & poteſtate, nõ ſimpliciter, & in actu, nã ſimpliciter, vel calida, vel frigida, vel humida, vel ſicca, vel aliqua qualitatum iſtarũ combinatione prædita, ſola ſunt ea quæ qualitates illas ſummas habent, quæ verò ſunt actu talia, mox ſe produnt, & vbi tangũtur, qualitate, qua pollent, tangentẽ feriunt; quorum neutrũ in medicamẽtis cernitur, nõ enim eiuſmodi qualitates in ſe ſummas habent, nec tangentẽ ſtatim afficiunt, ſed tunc primùm, vbi fuerint in actum deducta, vel vt ait Galenus, poſtquàm ea fiãt, quæ dicũtur eſſe, quandoquidem nondum talia ſunt ſed futu-

futura tantùm, & habilia fieri qualia dicuntur. Si conferantur itaquè medicaméta cum humano corpore, vel calida vel frigida sunt comparate, &c. nõ prius tamen ipsum, vel calefaciunt, vel refrigerant, quàm actu talia fiant, tertio de temperamentis primo, quia potestate tantùm, qualia dicũtur existunt, & quâ sic existunt, operari non possunt. Modũ autem secundùm quem hæc medicamenta de potestate deducuntur ad actum tunc exponam, cum eorum, quæ sunt hac ratione, tum temperata, tum intemperata, naturas differẽtias, ac materias, breuiter, & quàm potero paucissimis, ordinatè fuero persequutus. Temperatum (inquit Gal. 3. simpl. 13.) medicamẽtum, id vocare decet, quod corpus eucratum, & natura temperatum, qualitatis similitudine conseruat, quantumuis alteri corpori collatum, ipsum alteret: nam quod corporis iam dicti mediocritatem non offendit, id,
vel

vel ſenem refrigeratum maximè videbitur excalfacere, vel iuuenem exceſſiuè calidum refrigerare. Quidam aiunt medicamentum temperatum eſſe duplex, nimirum, vel ſimpliciter & abſolutè, vel non abſolutè temperatum. Quod ſimpliciter & abſolutè temperatum dicitur, mediocritatem habet in omnibus omnino qualitatibus primis, qualia cenſentur Adiantum, aſparagus, butyrum recens, caſſiæ medulla, cera, citri cortex & ſemen, faba, ficus, glycirrhiza, iuiubæ, lentes, lotus, manna, nuclei pinei non purgãtes, oliuæ, ruta muraria, Saccharum Tabarzet, Terra tum Chia tum Samia, Tutia. Quod autem non abſolutè temperatum exiſtit, id quamuis in duabus actiuis mediocritatem obtinet, in vna tamen paſſiuarum eſt intemperatum, vel econtra. Qualitates actiuas hic appellamus, caliditatẽ & frigiditatem quia plurimæ ſunt actiuitatis, paſſiuas humiditatem & ſiccitatem, quòd quamuis haud ſint otioſę, (nam

(nam ſiccitas per ſe primò ſuaq́; natura non per accidens humiditatem abſu ſumit, & humiditas non tantum ſiccitatem reprimit, verumetiam abſumptum humorem per ſe reficit ac reſarcit) tardius tamen & minus vehementer operentur, niſi cum priorum duarum alterutra coniungantur. Exempla medicamenti quod hoc pacto temperatum appellatur varia ſunt, prout in alijs atq; alijs qualitatibus mediocritatem habet. Hinc linum & triticum licet in caliditate mediocritatem excedant, in humiditate tamen & ſiccitate mediocria reperiũtur, & pſillij ſemen ac ſolanũ quamuis illud ordine ſecundo refrigeret hoc tertio, neutrum tamen euidenter aut humectat aut exiccat. Hinc rurſus etſi vicia, ſalix & lens ſecundum ſiccitatis gradum attingant, hyppuris etiam tertiũ, ſunt nihilominus hæc omnia quoad frigiditatem & caliditatem temperata, necnon malua demùm quantumuis ſit humida ſupra mediocritatem, in caliditate

idate tamẽ & frigiditate, moderata ſtaqui ſolet. Ex quibus (inquiunt iſti) conicitur, quòd medicamẽtũ aliquod eſſe poſſit, in vnica qualitate ſola, quæcumque ſit ea, temperatum, licet in alia ſit intemperatum, ac proinde dici debeat, non abſolutè, ſeu non ſimpliciter temperatum. Cæterùm vt his & alijs omnibus liberum ſit, ac liceat, tum ſentire tũ loqui quod libet: ego ſanè, cum Montano, ſum in ea ſententia, quòd æquale ſeu temperatum & (vt ille loquitur) perfectum, vnicum ſit & ſimplex, non varium ac multiplex, &, quòd temperati nomen, illud tantummodò mereatur, quod in omnibus ęquè qualitatibus primis mediocritatem obtinet.

Et quamuis tale fortaſſis haud vſquàm aut vnquàm inueniatur, non malè tamen, ea, quæ ſuperius allata ſunt in exempla Medicamenti ſimpliciter temperati, talia conſtituuntur, quandoquidem qualitates paſſiuæ non videantur ſuprà modum agere,

agere, nisi cum actiuis immoderatius etiam agentibus, coniungantur, & sint ea, si non omnia pleraq; saltem, in actiuis qualitatibus temperata, minusq; recedant à temperatura media quoad vtrasque qualitates quàm alia quæuis, ac sit demum, si quid habeant immoderationis, illud tam exiguum, vt leuissimo, quopiam præparationis modo deponi facillimè queat & amitti. Quod rursus illi non absolutè temperatum vocant, illud ego cum Galeno 1. de temp. 8. vocarem intemperatum, denominatio namque semper ex ipsius sententia fieri debet à qualitate vincente. Corporum enim (inquit ille) præterquàm elementarium, nullum, vel ad summùm calidum, vel ad summùm frigidum, vel ad summùm humidum, vel ad summũ siccum est, sed vel medium prorsus contrariorum ita, vt nihilo magis sit calidũ, quam frigidum, aut humidũ quàm siccum: vel ad alterum contrariorum est propensum ita, vt magis sit calidum quàm

quàm frigidum, vel magis sit humidum quàm siccum. Ac, siquidem medium, planè sit in vtroq; contrariorum genere, ita, vt non magis sit calidum quàm frigidum, aut humidum quàm siccum, temperatũ id omnino dicetur: sin alterum contrariorum superet, siue in altera oppositione, siue in vtraque id sit, nõ etiam dicetur temperatum. Ac, si calidum magis sit, quàm frigidum, quod magis est, id appellabitur: idem statuẽdum de sicco & humido: ad eundem modum si frigidum magis sit, nominabitur frigidum: at, si in vtraque oppositione alterum superet, siue calidum vnâ cum humido, siue calidum simul cũ sicco, siue frigidum simul cum humido, siue frigidum vnâ cum sicco, vtiquè pro vincenti sortietur id corpus appellationem. Hæc Galenus, quæ nisi quis recipiat, doctrinam inprimis Galeni de numero temperamentorum reijciat est necesse, deinde non poterit medicamentum vllum assignare, quod qualita-

tem aliquam ſimplicem immoderatam obtinet, à qua denominetur vel calidũ tantùm, aut frigidum vel humidum tãtùm, aut ſiccum. Temperato ſuccedũt intemperata, quorum, ab illo, quædam ſimplici, quædam duplici qualitate recedunt. At verò, quia pauciſſima ſunt medicamenta, quæ ſimplicem nacta ſunt intemperantiam, ac vix fortaſsè plura, quàm ea, quæ, quia mediocritatem obtinent in vna qualitate, non abſolutè temperata dicta fuere ſuperius ab alijs, à nobis propter vincentem in ijs qualitatem alteram, vel calida tantùm, aut frigida, vel humida ſimiliter tantùm, aut ſicca dicenda potius videbantur, de quorum etiam aliquibus dubitari poteſt, an talia ſint, necne; raroq́ue cõtingit vt corpus intemperie ſimplici, quæ ſimplici pariter aduerſa qualitate tollenda ſit, laboret, ideo neceſſarium non erit, vt iſtorum medicamentorum, vel naturas fuſiùs explicemus, vel materias conquiramus.

mus, & in vnum quasi cumulum, hic congeramus, cum præsertim, talis eorum enumeratio rudioribus magis obesset quàm prodesset, & magnam illis molestiam, ac solicitudinem pareret, dum vna medicamenti cuiuspiam qualitate cognita, si nesciat alteram, morbis, ab intemperie composita prouenientibus (qui sanè sunt omnium frequentissimi, ne dicam soli) quæ medicamenta conueniant, ignoraret. Omissis igitur medicamentis ijs, quæ combinatis qualitatibus haud agunt, commodiorem & vtiliorem medicamentorum illorum, quæ duplici qualitate sunt intemperata, suntque vel calida simul & humida, vel calida simul & sicca, vel frigida simul & humida, vel frigida simul & sicca, doctrinam ita tradam, vt medicamentorum, quæ compositæ cuiuis corporis intemperiei tollendæ sunt oportuna, notitia neminem, ingenio saltem

mediocri præditum, latere queat. Verùm, illud hic prius admonere decet, quòd nimirùm, cum medicamẽtorum intemperatorum genus omne, magis ac minus (vt loquuntur philosophi) recipiat: tum in ipsâ cuiusquè generis latitudine, reperiantur quatuor excessuum gradus, secũdùm quos, hoc aut illud medicamentum, siue calidum sit, siue frigidum, siue humidum, siue siccum primo, secundo, tertio, quartoue gradu vel calidum, vel frigidum, vel humidum, vel siccum dicitur, prout eorum, quæ sunt in eodem genere, quodvis, plus minusve, vel calefacere, vel refrigerare, vel humectare, vel exiccare natum est, quàm aliud. Graduum istorum primus author & obseruator fuisse perhibetur Galenus, qui 5. simpl. 27. totam ipsorum naturam his ferè verbis complexus videtur. Porrò per excessum vnumquemquè, quatuor ordines posuisse, quod ad vsum spectat, sufficit, calidum quidem nominãtes primi ordinis,

dinis, quod nos excalfacit, non tamen euidenter, verùm vt opus sit insuper aliqua demonstratione rationali: sic frigidum, humidum, & siccum, quod demonstrationem requirat etiam, nondum actionem valentem neque euidéterm adeptũ. Quæ verò manifestè aut calefacere, aut frigefacere, aut humectare, aut desiccare possunt, ea secundi esse ordinis dicentur. At quæ iam vehementer quidem, non tamen summè, tertij. Quę autem adeo excalfacere possunt, vt escharam moliantur & vrant, quarti: sic quoque quę vehementiùs refrigerant, adeò vt extinguant, & ipsa quarti sunt ordinis. Cæterùm nullum inuenire est, quod ordine quarto desiccet, quod non etiam vrat: nã quod summè desiccat, id omnino etiã deurit, &c. Montanus, medicamentorum, quibus isti gradus debẽtur, effecta paulò latius in hunc modum est prosequutus, dicẽs, medicinam calidam in primo gradu, vim habere augendi caloreminnatum,

& non igneum, vnde sequuntur concoctiones, maturationes, & reliquæ naturalium facultatum actiones. At quæ ad secundum gradum accedunt, iam alicuius ignei caloris participes sunt, vnde vim habent attenuandi, rarefaciendi, & aperiendi meatus, Aliæ ad tertium gradum exiccant, sitim excitant, incidunt, attrahunt, inflammant, colliquant corpusq́; tabefaciũt. At quarto gradu calefaciẽtia medicamẽta, vesicas inducũt, rubificant, cõburunt, mortificãt & extinguũt. Porro frigidę medicinę, sicut & de calidis diximus, in primo gradu cõsistẽtes, calorem innatũ ita refrigerãt, vt coctiones & maturationes proprium finem exactè non attingant, sed quæ ad secundum accesserint, præter nocumẽta, quæ diximus, crassefaciunt, calorem naturalem manifestius obtundunt vnde crudorum humorum multitudo generatur. Quæ verò tertio gradu frigefaciunt, astringunt intrinsecos corporis meatus, succum exprimunt naturalem;
distri-

distributiones prohibent, stupefaciunt sensus, plumbeum colorem inducunt. At quæ ad quartum accesserint, congelant, calorem naturalem extinguunt, & tanquam venena interficiunt. Medicinæ humidæ in primo gradu, leniunt & lubricant, quæ in secundo, relaxant, humores acres obtundunt, crassioresque reddunt, naturalium membrorum tonum imbecilliorem faciunt. Humidæ in tertio gradu non relaxãt tantùm sed languidum reddunt, vnde assiduæ nauseæ, & vomitus, fluores alui & lienterię, corpus totum pigrum & torpidum efficiunt, ac motus omnes & actiones manifestissimè obtundunt. Medicinæ siccæ, quæ primo gradu siccant, reddunt corpora & membra validiora, sensusq; vegetiores. Quæ in secũdo gradu sunt, iam manifestè astringũt, & veluti ligãt, quale ligamentum in acerbis ipso gustu depræhẽdimus. Siccę in tertio, meatus omnes angustiores reddũt, humorũ trãsitus intercipiũt, omnes expulsiones

naturæ impediunt, ſuccum è corpore exprimunt, & tabem inducunt. At quæ ad quartum perueniunt, ſuffocant, ſpiritus intercipiunt & mortem inducunt. Tales igitur (ait) ſunt effectus omnium medicinarum, qui per primas qualitates, ſecundùm omnes gradus à medicis obſeruatos, in humanis corporibus imprimuntur, quibus rectè intellectis, haud ægrè poterit, etiam mediocris ingenij vir iudicare de compoſitis, videlicet quos effectus producat medicina, quæ pariter calida ſit & humida, calida & ſicca, frigida & humida, frigida & ſicca. Cur autem hæc Medicamentorum iſtorum in ordines diſtributio ſit à medicis & obſeruanda diligenter & vſurpanda, declarat Galenus 3. ſimpl. 13. quia videlicet huius notitiæ non paruus eſt ad medendi methodum vſus: immò niſi quis (inquit) hoc pacto definiat, officiet magis legentibus quàm proderit. Quid namque magis noxium eſſe poteſt, quàm ſi quis in calidis anethum, v.
g. fæ-

g.fænugræcũ,& myſi ac calcē indifferē-ter numeret,in frigidis,roſaceũ,mãdra-goram, & cicutam,tanquã ſcilicet pro-pinquum ſit,aut calci fænugræcum,aut cicutæ roſaceum,ac non multis mediã-tium medicamentorum ordinibus diſ-iuncta,cum eorum vnum in primo ſit vel calefacientium vel refrigerantium ordine ponendum, aliud in quarto? Si quæras quis ille ſit vſus de quo Galenus loquitur 5.ſimpl. 27. Reſpondet ipſe Galenus 3. ſimpl. 12.dicens, quòd mor-bus in intemperiè tollendus ſit contra-rio,non quouis ſed proportionato, ſic vt niſi proportio ſeruetur quoad ordi-nem &gradum,inter intemperiem tol-lendam,& aduerſam medicamẽti qua-litatem, quæ debet ipſam tollere, nec tutò, nec iucundè procedat operatio. Qui verò medicamentorum alteran-tium ordines iſtos ignorauerit, is pro-fectò non rarò plurimùm aberrabit à ſcopo, medicamentum modò mitius, modò fortius vſurpans, quàm morbus exigit,eaque ratione,quam cum iuua-

mento tollere debebat intemperiem, aut omnino non tollet, aut cum nocumento tollet, inducta videlicet intemperie contraria, quam nisi rursus tollat medicamento, nec fortiori, nec mitiori, quàm par est, perpetuam necessariò passioné efficiet, & ęgrum haud vnquã liberabit. Propter hanc eandem caussam monet Galenus, sub finem libr. 5. simpl. vt in singulis ordinibus triplices præterea differentias constituamus, & ordinem quemuis in tres mansiones ita partiamur, vt quod est in quouis gradu mitissimũ & in ipsius veluti principio, dicatur in prima gradus illius mansione consistere, q autem adhuc paulò fortius agit in eodem gradu, mediam gradus illius partem occupans, dicatur secundã mansionem possidere, quod demùm in eiusdem gradus aut ordinis fine collocatur, & gradum vltimatè complet, in tertia mansione gradus illius existere dicatur. Exemplum sumit ab ijs, quæ gradu tertio desiccant, in his inquiés ipsis,

(ter-

(tertio ſcilicet gradu deſiccãtibus) quædam, vicina iã ſunt adurẽtibus, vt ſquama æris, & æs vſtum, quaſi inter tertium ac quartum ordinẽ dubiè hæreant, hoc eſt, in ordinis tertij fine ponẽda ſint, in medio cuius ordinis, eſt æs vſtum ſi lotum ſit, & in eiuſdem principio hypociſtis, quod idem in primo, ſecundo pariter, ac quarto contingere dicit, nec enim perinde vrit cauterium & napy, licet ambo quarti ſint ordinis. Similiter dici poteſt, quod medicamẽtum in primo, v.g. gradu calidum calefaciat, vel in principio, vel in medio, vel in fine gradus illius, vnde quod in principio primi gradus calefacit, dicetur calidum in prima manſione primi gradus, quod calefacit in medio, dicetur calidum in secũda mãſione primi gradus, ꝙ demùm in fine primi gradus calefacit, dicetur calidum in tertia manſione primi gradus, ſeu quod idẽ eſt calidũ in primo gradu cõpleto. Nec eſt alia reliquorũ, hoc eſt, ſecũdi, tertij, vel quarti calefaciẽtiũ grad⁹, aut graduũ qui tribuũt medicamẽtis
vel

vel refrigerãtibus, vel humectantibus, ratio, quo fit, vt istis ita declaratis iam accedere debeamus ad institutam à nobis medicamentorum primis qualitatibus alterantium doctrinam, & ostendere, quæ sint exempla, calidorum & humidorum, calidorum & siccorum, frigidorum & humidorum, frigidorum & siccorum, siue primo, siue secundo, siue tertio, siue quarto, sint in ordine constituta.

Medicamenta, quæ calefaciunt & humectunt ordine primo, sunt Amygdalæ dulces, buglossa, butyrum ætatis mediæ, cicer recens, cynosorchis, gummi nascens in Amygdalo, laudanum, mora matura, mustum vini minus generosi, Phaseolus, poma vel dulcia vel apia, gratum odorem spirantia, raparum substãtia, detracto cortice, Saccarum duarũ coctionum, Saccharum penidiatum, Satyrium, sesamum, vuæ vulgares vbi maturuerint.

Medicamenta, quæ calefaciunt & humectant

mectãt ordine ſecundo, ſunt ex aliquorum opinione, Behen, dactylus, eruca ſatiua, muſtũ vini generoſioris, vt cretici v. g. vel moſchatellini, nux Indica, vuę moſchatellinæ præmaturę: nonnulli tamen, humiditatem tantam cum tanta caliditate poſſe conſiſtere, negant, quia calor, per accidens, humiditatem depaſcit ac depopulatur.

Medicamenta, quæ calefaciunt & humectant ordine vel tertio vel quarto nulla ſunt. Et quamuis dicat Serapio, quòd ordine tertio calefaciant & humectent, Enula, pyrethrum, Thapſia, Zinziber: ratio nihilominus dictat, nõ modò caliditatem tam exceſſiuam, humorem omnem abſumere, verumetiam, humiditatem tam ingentem qualis eſt ea, quæ tertium ordinem attingit, caliditatis vim & actionem ſic obtundere, ne poſſit, ordini tertio reſpondere. Quòd autem Brunnfelſius Mercurium ſtatuat calidum & humidum, ordine quarto, multò minus propter eandem ratio-

ratioñe admitti debet. Nec refert, quòd Dioſcoridis & Pauli teſtimonio ſe tuea-tur, quoniam apud ipſos illud ego nec reperi, nec ſi reperiſſem, fuiſſem indu-ctus vt crederem. Quarè fides in hac re non eſt vlli tribuenda.

Medicamenta quæ calefaciunt & ſic-cant ordine primo, ſunt, Abſynthium recens, Agrimonia, Amylum, Auena, Beta, betonica, braſſica, Calendula, Ca-rica, Chamomilla, Caſtanea, cupreſſus dactylus, filix, fæniculum recens, fænu græcum, furfur, gummi iuniperinum, hædera, lini ſemen, lithoſpermon, lupi-nus, melilotus, meliſſa vulgaris nucli pi-nei, oryza, pæonia, rubia tinctorũ, Sac-charum rubeum, Schænanthum, Seta triticum, Xylum.

Medicaméta, quæ calefaciunt & ſic-cant ordine ſecundo, ſunt Acorus, aloe anethum, ariſtolochia, artemiſia, Baſili-cum, blatta byzãtina, bitumen, Cappa-ris, chamædris, chamæpitis, crocus, cy-perus, Ebenus, fumaria, galbanum, ge-

[m]ũta, Guaiacum, Iris peregrina, vel nostras si sit arida non cariosa, leuisticum, [l]ignum aloes, mãna thuris, marrubium, [m]astyx, mel, myrrha, naphtha, napus, [n]ux moscata, Olibanum, origanum, Pi[l]osella, polium, Rhabarbarum, Sabina, [S]cabiosa, siler montanum, Tamariscus, [t]erebinthina, thus, vrticæ Romanæ semen, & id genus alia.

Medicamenta quæ calefaciunt & siccant ordine tertio, sunt, Alliũ, alumen, ammi, anisum, anthos, apium, asarum, assa fœtida, bitumẽ Iudaicum, bryonia, calamentha, caruum, castoreum, chelidonium, ciclamen, colocynthis, costus, cubebæ, cuminum, cynamomum, Dyptamnus, Doronicũ, Elleborus vterque, fœniculũ aridũ, galanga, garyophyllus, gentiana, hyssopus, iuniperus, maiorana, mentha, meum, nasturtium, nepeta, nigella, petroselinum Macedonicũ, peucedanũ, piper, porrũ, ptarmica, pyrethrũ Raphanus, ruta, Sabina, sagapenũ, Saturegia, Scammoneũ, scordiũ, Smyrniũ,

Squil-

Squilla, Staphyſagria, Stęchas Arabica, Tartarum, Thymus, turbith vitex, Zedoaria, cum alijs nonnullis.

Medicamenta, quæ calefaciunt & ſiccant ordine quarto, ſunt, Anacardus, Æris tum viride tum flores, æs vſtum, Arſenicum, calx viua, cantharides, dracunculus, euphorbium, fermentũ acre, Flammula, lathyris, Mezeræon, Ranunculus, ſinapy, ſublimatum, ſulphur, Tithymalorum genus omne. Neque verò putare quis debet, ideo non eſſe credibile, quòd dentur medicamenta, qua quarto ſunt ordine calida pariter & ſicca, quippe cum, ſiccitas æquè ſit paſſiua qualitas, ac humiditas, nec poſſit iſta cum caliditate tanta conſiſtere: quia lõgè diſpar eſt humiditatis & ſiccitatis cũ caliditate coniunctæ ratio, nam ſiccita caloris actionem incitat & accelerat, a proinde vocatur caloris lima, humiditas contrâ, caliditatis operationem remoratur & retardat & ipſius proptere frænum dici poteſt. Hinc Auicenna, ſe

cund

cunda primi, siccitatem ait per accidens facere posse dolorem, humiditatem verò minimè, non aliam quidem, vt reor, ob causam, quàm quod siccitas caliditati coniuncta vim ipsius augeat, humiditas autem, si caliditati coniungatur ipsius vim obtundat, & faciat ne soluatur continuitas, si frigiditati coniungatur sensum hebetet, ac proinde dolorē fieri prohibeat. Et de medicamentis quæ caliditate tum siccitati, tum humiditati coniuncta, pollent, hactenus.
Medicamēta, quæ refrigerant & humectant ordine primo, sunt, arantiorum dulcium succus, atriplex, cerasa, citrij mali succus, endiuia, fragaria, iuiubæ, limonum acetositas, malua, pruna, Spinachia, violæ.

Medicamenta, quæ refrigerant & humectant ordine secūdo, sunt, Anguria, Argentum viuum secundùm Auicennę sententiā, blitum, cucumeres, cucurbitæ, lactuca, lens palustris, mala præcocia, melones, poma persica, Tamarindi.

Quæ refrigerant & humectant ordine tertio medicaméta, sunt, Nymphęa, portulaca, potamogeton, solanum, & similia, quæ frigida quidem sunt, ordine tertio, frigiditatiq; coniunctam habét humiditatem, quæ quamuis ad tertium fortasse gradum non accedat, quia tamen pauló videtur in istis abundantior, quàm in illis, quæ præcesserunt, facit, vt hæc medicamenta non malè reuocentur ad tertium gradum, siue dicatur is, principium tertij, siue finis secũdi, nam istę mansiones parùm, aut nihil à se differunt inuicem.

Medicamenta, quæ refrigerant & desiccant ordine primo, sunt acetosa, balaustium, cydoneum, faba, glandes, gramen, hordeum, hypocistis, hyppuris, lens, milium, muscus arborum glandiferarum, Myrtus, oliuæ non maturæ, pyra, rosæ, rubus, salix, sorba, tribulus.

Medicamenta, quæ refrigerant & desiccant ordine secundo, sunt, Arnoglossa, berberes, centinodia, cerussa cichoreum,

reum, corallium, galla omphacitis, herniaria, psillium, Rhamnus, Rhus obsoniorum, Ribes.

Medicamenta, quæ refrigerant & desiccant ordine tertio sunt, acacia, antimonium, Bistorta, bursa pastoris, camphora, hyoscyamus, papauer erraticū, Santalum, tormentilla.

Medicamenta, quæ refrigerant & desiccant ordine quarto, sunt, cicuta, mādragoræ radix, nux methel, opium, & alia, quæ narcotica vocantur à medicis. An autem ista, manifestis his qualitatibus, calorem natiuū spiritumque (quibus duobus omnia vitę munia peraguntur) vel extinguendo, vel repellendo, partem, cui fuerint admota, sensu priuent, & sic dolorem sopiant, prout aliquibus videtur, vel id occulta quapiam facultate faciant, veluti sentiunt alij, non est nostri nunc instituti definire.

Quare, ne limites nostros transiliamus, hij sunt medicamētorū, quę quali-

tatibus primis corpus alterāt & immutant ordines, hæc eorum exempla, saltē aliqua, nā omnia percēſere magis operoſum eſſet quam operę pretiū, de quibus, ſi certius requiras iudicium, & ſcire deſideres, quam qualitatem primā habeant ea, quæ ſunt à nobis prætermiſſa, quotoq́ue gradu qualitatem illam obtineant, linguam conſule, nam etſi varijs modis id tibi liceat experiri, nullum tamen tam fidum illius rei iudicem & arbitrum reperies, ac eſt lingua. Quare medicamentum oblatum linguæ ſi vel auſterum, vel acerbum vel acidum perſentiatur, frigidum, ſi ſalſum amarum aut acre, calidum, ſi cōſtringēs ſiccum, ſi dilatans, humidum, ſi dulce, temperatum ipſum eſſe non temerè pronuntiabis. Dulce vocamus, non quidem illud (vt ait Montanus) quod dulcedinis habet exuberātiam, vt mel, ſaccharum & ſimilia, ſed quod guſtum ſe naturaliter habentem delectat, dictorumq; iam ſaporum aliquo linguā haud ferit. Ordinem

dinem verò ſeu gradum qualitatis non aliundè faciliùs compræhendes, quàm ex maiore minoreque qualitatis, linguam afficientis, ſenſu, quo namq; magis medicamẽtum quoduis ſuam in lingua vim exerit, eò magis qualitaté primam, quam vis illa denotat, intenſioré, quo verò minus, hoc remiſſiorem eam ipſum habere rectiſſimè iudicabis.

Atque de medicamentis, quæ primis qualitatibus operantur, hæc fortaſſe ſatis eſſent, niſi; quia dũ iſta declaramus, hæc medicamenta diximus, eſſe poteſtate tantùm talia, qualia nuncupantur, nec re prius ipſa ſuas obire functiones, quàm ad actum deducantur, videretur propterea rationi cõſentaneum, vt antequam hinc abeamus, aſſignemus modum, quo potentialis iſta vis, in actualé tranſit, hoc eſt oſtendamus, per quid in actum deducantur, aut quid ſit illud, quod facit vt medicamentorum iſtorũ poteſtas in actum exeat. Quarè ne quid indiſcuſſum relinquamus, huius etiam

hic dubitationis solutioné adferemus.
Et ad calida quidem medicaméta quod attinet, Galenus, 3. simpl. 20. dicit, ab alia re nulla delitescentem in ijs vim calorificam, excitari, quàm à calore nostro. Nam is etsi téperatus existat, propter dispositionem tamen, & propensionem, quam habet medicamentum quoduis, ad hoc, vt tactu magis, aut minus incalescat, illud facit, vehementiorem, hoc, mitiorem, ex se calorem emittere: non aliter quàm vnus & idem ignis, in diuersas materias diuersimodè dispositas incidens, effectum producit nunc validiorem nunc debiliorem, & modò maximam conflagrationem modò flammam exiguam efficit, quandoquidem veluti dicunt philosophi quicquid recipitur pro modo seu modulo recipientis recipiatur. Hinc (inquit Galenus) euphorbij calor, contactu corporis nostri maximus euadit, quoniã aptitudinem habet, vt vbi cõiunctus fuerit cũ calore natiuo, talis euadat: aliorũ verò ca-

rò calor quamuis æquè cum calore corporis innato coniungatur, contactu tamen corporis tãtus haud euadit ac ille, quia minorem habet vt incaleſcat aptitudinem. Frigida medicamenta, Galenus ait tribus indigere, quibus in actum deducãtur, calore videlicet noſtro, cõminutione, tractioneque. Quod calore noſtro ſit opus, inde cognoſcimus, quoniam in corporibus calidis medicamenta frigida citiùs ac fortiùs operari conſpicimus, quàm in frigidis: immò ſi frigidioribus offerantur, alimenta potius euadere quàm medicamẽta. Legimus enim, vetulæ cuidam Atticæ, cicutam haud aliter quàm ſturnis qui frigidam habent corporis conſtitutionem, cibũ extitiſſe nõ alia de cauſa, niſi quia ſimile, ſimile namq; (veteri prouerbio) ſimili delectatur, &, ſecundùm vulgatum medicorum axioma, nutritur à ſimili. Per comminutionem intelligimus hic intrinſecam quãdam in partes minutiſſimas ac tenuiſſimas attritionem

nem à natura factam, nam extrinseca, quæ quidem est apparatus, à medicorũ ministris factus, requiritur etiam ad calidorum (vt ita dicam) actuationem. Vnde Galenus primo simpl. 12. Crassorum inquit nullum prius, quàm ad vnguem comminuatur extenueturq́;, vel à corpore nostro perpeti, vel in ipsum rursus agere posse, siue calida sint, vt piper, napy, canchry, siue frigida, veluti sunt, mãdragoræ radix, papaueris & cicutæ semen, ac similia de comminutione loquens extrinseca, de comminutione verò loquens extrinseca, 3. simpl. 20. dicit, quòd, quæ potestate calida sunt, alterentur duntaxat, quoniam incalescunt à nobis: at, quæ natura sunt frigida, tum quia comminuuntur, tum quia motum accipiunt ascititium, nam citra comminutionem hanc intrinsecam, medicamenta frigida, quãtumuis sint in tenuissimum pollinem exquisitissimè trita, nunquàm in actum deducentur, Etenim cum natura sua crassam

habeant essentiam, tum nisi substantiæ tenuitatem aliundè nanciscantur, actu refrigerare, prout decet, nequeunt. Nanciscuntur autem tenuitatem istam à calore nostro, si validus sit, solo, sin minus, adiutore quapiam calefaciéte: quo fit, vt Galenus citato iam proximè 3. simpl. 20. vinum ad hanc rem laudet vetus ac generosum, quoniam, id quoque (sic enim ille loquitur) magis calefacit. Quòd tractio requiratur, præter Galeni testimonium superiùs allatum, quo motus ascititius dicitur medicamentis frigidis actuandis necessarius, ipsa ratio suadet, quandoquidem frigida quæuis, cum segnia sint & ad motũ inepta, debeant ad affectam partem duci, nec possint prius ipsam alterare, quã ad contactum cum ipsa mutuum adducantur. Fit autem tractio, vi caloris & arteriarum, conferente nonnihil ad eam meatuum ac pororum amplitudine, Galenus enim, vt arterijs 1. simpl. 12. tertioq; simpl. 18. sic calori passim,

vim tractricem tribuit, & vsus declarat, per meatus ampliores facilius quidpiam ferri, quàm per angustiores. Vt igitur medicamenta frigida deducantur ad actum, opus habent alteratione, quam per calorem denotauimus, attenuatione, quam comminutio significat, & attractione, qua parti laboranti vicinentur, actio namquè physica fit per contactum. Et calor quidem, quamuis Conciliator aliter senserit, non ideo requiritur, vt eius ope, medicamenta frigida magis à nobis refrigerentur: sed vt agant maiori cum emolumento, nam, nisi, vis ipsorum refrangeretur agerent nonnũquam cum nocumento, venenorumquè potiùs quàm medicamentorum rationem obtinerent. De medicamentis potestate tam humidis, quàm siccis, eadem est omninò cum frigidis ratio, nam & illa, tum alterari, tùm attenuari, tum moueri debent ad affectam partem: quo fit, vt ars, quæ naturam

æ æmulari ſolet & adiuuare, cum videat à facultatibus corporis noſtri naturalibus, ea vix omnia præſtari poſſe: tum ijs ſolis vel nunquam vel rarius vtatur, ſed ipſis adiungat ea, quæ, qua partim tenuitate, faciunt, vt altius penetrent, partim familiaritate, quam habent cum partibus, ad quas deberent pertingere, veluti vehiculo ſunt ipſis vt ad eas aptius peruenire valeant. Et de primis medicamentorum qualitatibus ſint hæc ſatis.

DE

DE MEDICAMENTIS, QVI-
bus, in corpus humanum, secunda quæp qualitas inprimitur.

CAPVT XIII.

QValitates secũdas hic eas voca-mus, quæ sunt à primis orta, præcipuè verò duritiem, mol-litiem, asperitatem, læuitatem, crassiti ac tenuitatem: nam etsi plures ab ali numerentur, hæ tamen primis proxi-miores videntur, & illas immediatiù (vt ita dicam) sequi quàm aliæ. Prode-unt autem à primis, non primaria rati-one, qua, videlicet, calefaciunt, refrige-rant, humectant, & exiccant sed secun-daria, qua, nimirum emolliunt, indu-rant, exasperant, leniunt, incrassant, au attenuant: & inde fit, vt medicamenta quibus inprimũtur in corpus humanũ nõ dicantur calefaciẽtia, refrigerantia desiccantia, vel humectantia, sed, ve

emol-

mollientia, vel indurantia, vel exaspe-
rantia, vel lenietia, vel incrassantia, vel
attenuantia, impertientibus scilicet ijs
nomina, facultatibus, à quibus formaliter, non à quibus virtualiter producuntur. Agendum igitur à nobis est, in
hoc capite, de sex istis medicamentorũ
generibus, & de singulis ea dicenda,
quæ videbuntur instituto nostro maximè consentanea.

Medicamentum emolliens, cum duritiei depellendæ propriè dicatum sit,
nec depellatur durities, nisi causa debelletur, à qua fieri fouerique consueuit:
cum inde necessariò conficitur, tam esse
multiplicem emollientis medicamenti naturam, quàm est multiplex causa,
quæ duritiem facit ac fouet, ac proinde
perperam eos procedere, qui medicamentorum emollentium omnium materiam omnem, in vnum quasi cumulum conijcientes, haud distinctè docét,
quæ cuiuis duritiei causæ remouendæ
materia conueniat, & qua ratione, medica-

dicamentum quoduis emolliens, hanc aut illam duritiei speciem amoliatur. Hinc Galenus 5. simpl. 5. cū variè quidquè durum (inquit) efficiatur, nimirū, aut siccescens, aut concrescens, aut nimia repletione distentum, aut coniugatione quapiam, sequitur, vt & propria, suaq; cuique sit emolliendi ratio, nam quod induratum est à siccitate, postulat humectari, quod congelatione concreuit, excalefieri, quod repletum est, inaniri, quod coniugatione siccitatis & congelationis induruit, humectari simul ac concalescere, quod coniugata congelatione pariter & repletione duritiem acquisiuit, calefieri pariter & euacuari, quæ sanè distinguēdorum emollientium ratio cognitu perquàm est ideò necessaria, quoniam si quid in ijs peccetur, ingens ægrotis damnum malumq; prouenit. Ex quibus Galeni verbis, vt euadit manifesta peculiaris medicamentorum omnium emollientium natura, planeq; constat, cui duri-

tiei causæ pellendæ, quoduis ipsorũ debeatur: sic liquidò quàm apparet, quorum hic materias & exempla, vel recensere nos decet, vel reticere. Etenim, eorum, quæ siccitatem ac humiditatem, aut simul, aut seorsim emendant, exempla, quia superiori capite sunt abundè declarata, non est hic opus denuò repetere ne tautologiam haud ferẽdam cõmittere videamur. Eorum verò, quæ repletionem tollunt, quia faciũt, vt quod replet euacuetur & de sua sede deturbetur, exempla non sunt etiam huius loci, sed ad eum spectant, & ex eo depromi possunt, in quo, de medicamẽtis, quorũ termin⁹ est Vbi seu locus, habẽdus mox est sermo. Quo fit, vt huc, eorũ tantùm emolliẽtiũ exẽpla pertineãt, & hic à nobis in medium sint adferẽda, quæ duritiem ex repletione pariter & cõcretione seu congelatione comparatam abolere nata sunt, & scirrhosis (vt ait Galenus[a]) affectionibus abigendis conueniunt. Et quamuis in eorum natura de-

finica-

finienda, sibi videatur Galenus ipsi non parùm contradicere, quippe qui 5. simpl. ea calefacientia statuat & exiccantia, 14. verò methodi calefacientiá simul & humectantia: dupliciter tamē à contradictione vindicari potest, primò, si dicamus ipsum per exiccantia nō intelligere, valde seu vehementer, sed parum seu mediocriter exiccātia; qualia si quis (inquit) humida vocet, non est repugnandum, nam paululum absunt ab ijs, quæ nec humectant, nec desiccāt. Secundò, si dicamus, quòd 14. methodi 4. considerauerit emollientia, quatenus referuntur ad materiam scirrhi liquefaciēdam ab initio curationis, quapropter dixit, quòd nisi quis primùm materiam scirrhi calidis & humidis liquefaciat, & sic emollire scirrhum tentet, putabit se quidem rectè curare scirrhum cum potius ipsum induret; quoniam adhibitis calidis & siccis, resoluun tur partes tenuiores, crassioribus remanentibus & maiorem adhuc duritiem acqui-

acquirentibus: alibi verò respexerit ad materiam iam antea liquefactam, ratione cuius exiccantia medicamenta scirrhi curationem complent, & ideo Galenus 5. simpl. ait, ea, quæ scirrhum emolliunt, non debere tantùm humorem liquefacere, verumetiam, eum, vbi liquefactus fuerit, paulatim absumere, quam eandem sententiam habet 7. de comp. med. s. g. 6. dicens quòd materia, scirrhi liquefacta paulatim absumi digerique debeat. Medicamẽtorum scirrhum emollientium alia simplicia sunt, alia composita. Simplicium exempla, 5. simpl. 9. proposuit Galenus hac verborum formula. Propriè vocantur emollientia, quæ medentur scirrhosis tumoribus ex pituita resiccata crassaq; prognatis. Consueuerunt autem ij potissimùm in musculorum capitibus, & qui ex ijs prodeunt tendonibus consistere. At quæ ab atrabilario succo indurãtur, cancrosa sunt omnia, & ab emollientibus medicis asperantur. Sed his

quo pacto perſpicere oporteat in commentarijs methodi curãdi docebimus. Quę vero à lento craſſoq́; humore congelato indurata ſunt, calida poſcunt ſiccaque remedia, ſed non tamen quæ valida ac violenta: ſed ſufficit interim vt ſecundi aut tertij ſint ordinis excalfacientium, primi exiccantium. Porrò cum non exigua ſit in corporibus ſic induratis maioris minoriſq́ue latitudo, neceſſe vtiquè eſt, & medicamentorum illis medentium non paruam eſſe latitudinem. Siquidem adeps caprinus, & gallinarum, quæ ſic indurata fuere, iuuarunt. Verùm illi quidem imbecilliores ſunt, & moderatas durities emolliũt. Valentior gallinarũ gallorũq́; adipe anſerin⁹ eſt, caprarũ verò hircin⁹, validior quoq; & taurinus, ſed minus tamẽ quàm hircin⁹. Quin etiã medulla ceruina modicè emollit, & poſt eã vitulina: quippè cũ id genus omnia medicamenta calida ſint, & mediocriter ſicca, multoq́; magis, excalfacere quã exiccare nata. Vnde

ſi quis

si quis fortè ea quandoq; calida dicat & humida, nõ repugnãdũ: nam paulũ absunt ab ijs quæ neq; humectant neque desiccant. Eodem ex genere sunt, quãquã validiora, ammoniacum, thymiama, & styrax, & Galbanum, & Bdelliũ Scythicum. Sed ad emolliendum præstantiora ex ijs sunt quæ recentia sunt, siquidem inueterata validiùs quàm oportet desiccant. Idipsum vsuuenit in medulla & adipe: quippe quę & ipsa vetustate seipsis tum acriora, tum sicciora euadunt. Quin & oleum quoque sicyoniũ ex hoc est genere: nec in postremis id, q; inueteratũ est: & ea quæ præparãtur, vt susinũ. Sed de cõpositis hic dicere statutũ nõ est. Porrò radix althęæ, & cucumeris agrestis, nõnullæq; aliæ plãtę, partim in oleo, partim in aqua decoctæ medicamẽtorũ emolliẽtiũ facultatẽ induũt: sicut maluæ agrestis folia, tũ cruda tũ cocta. Atq; hoc simplex medicamẽtũ est, sicut porcin⁹ adeps vetustatẽ pass⁹: sed salis nihil oportet adijcere,

ſicut nec alijs quæ emolliũt, valdè enim deſiccat ſal. Porrò quæcumque alia emollire poſſunt, ſeu ſimplicia ſeu compoſita ſint medicamenta (alibi enim ea recenſebimus) calida ſunt ex ſecundo & interdum ex tertio ordine, leuiter verò ſicca: ſed & his ſanè illinendi vis (emplaſticam vocant) inſit neceſſe eſt, non aliter quàm ijs, quæ pus mouent. Sed quanto maiore euacuãdi facultate pollere debent, tanto vtique minus etiam meatus illitu obſtruere. Hæc ille. Cæterùm circa vim emplaſticam dubitare quis poterit, an ea ſit ad hanc rem opportuna, quandoquidem emollientia debeant eſſe digerentia, quorum actionem, quæ fit per halitum inſenſibilem, prohibere potiùs quàm promouere videtur vis emplaſtica; niſi vis emplaſtica duplex eſſet, valida videlicet, & debilis, & admoneret Galenus, debilem hic expoſci, qua ſcilicet, medicamenta firmiori tantùm adhæſu corpori coniuncta, ſua, tum caliditate, materiam lique-

faciant,

faciant, tum ſiccitate, liquefactam digerant & abſumant, citra noxam vllam inſenſibili tranſpirationi factam. Et hinc, præter alia, poteſt quis intelligere, quæ ſint emollientia ſimplicia, propriè ſic dicta, tum mitiora, tum validiora, tum validiſſima, Quod idem ſi de compoſitis ſcire deſideret, legat Galenum libro de comp. med. ſ. g. 7. quo loco, poſtquã capite tertio, de ſimplicibus emollientibus, eadem ferè dixiſſet, quæ recitauimus ex 5. ſimpl. 9 tum capite quarto, ſic ſuam de compoſitis orationem exorditur. Ex compoſitis emollientibus alia quidem (vt ita dicam) imbecilliora primo ordine ſtatuuntur: quædam non multò his validiora, ſecundo: & quædã alia, tertio: adhæc nõnulla, quarto. Cæterùm primi ordinis mollientibus ad exiguas durities & in mollibus ſeu teneris corporibus vti, ſicut prædictum eſt, expedit: ad fortiora his corpora & affectus, ſecundi, quemadmodum & tertij, & quarti, pro illorum ratione. Subſcri-

bam autem & eorũ cuiuslibet propria. Primi ordinis emollientia medicaméta sunt butyrum, resina colophonia, & cera candida non vetusta, singula tria pondere æqualia, inuicem liquata. Et liquidum medicamen, quod parygrũ appellatur, eorum numero adscribitur, cum recens fuerit: veterascens autem maiorem digerendi vim acquirit. At emollientium imbecillimum est, cera cum butyro liquefacta, aut ex susino, aut commageno: atque his imbecillius est quod dicitur cerelæũ, quasi ex cera oleoq; confectum, cum in librã olei laxantis nulla adstringendi virtute præditi ceræ vnciæ xij. vel xvj. iniectæ fuerint. Iam ex ouis cerata facta exiguam quandam relaxandi potestatem possident. Valentiora his, verùm imbecilla adhuc & ipsa, cerata ex Oesypo, resina, & cera pari pondere liquefactis: sin autem vetustiora quodammodo ipsa fuerint, olei cuiusdã laxantis, vel susini, vel cõmageni, vel adipis suilli, vel gallina-
cei,

cei, vel anserini misturã requirunt. Hęc igitur, ex Galeni sententia, sunt emolléntia medicamenta composita primi gradus aut ordinis: qualia verò sint ea, quæ secũdo, tertio, vel quarto ordine emolliunt, declarat, capitibus proximè subsequentibus, quinto videlicet, sexto, septimo, octauo, nono, necquidquã omittit, ꝙ ad exactã medicamentorũ istorũ, vel cõponendorũ, vel in ordines distribuẽdorum, notitiã, scitu videbatur necessariũ, vt proinde frustrà quis in ijs aut vlterius enumerãdis aut vberiꝰ explicãdis elaborauerit, cũ Galeno superior esse nõ poterit. Indurantiũ medicamentorum natura quæ sit, ex ijs, quę de molliẽtibus dicta sunt, satis cuipiã cõstare põt: nam cognito (veluti dicit philosophus) contrariorũ vno, facile cognoscitur ꝙ est reliquũ. Quare, quãuis Galenꝰ 5. simp. 10. cõstituat ea vel frigida tãtũ, & humida, vel frigida quidẽ sed in qualitatibꝰ passiuis haud multũ intẽperata, nec alia producat illorũ exẽpla, quàm semperuiuũ,

portulacam, psillium, lenticulam palustrem, & solanum: vsus tamen commonstrat & ipse negare nequit quin alijs nonnunquàm indigeamus indurãtibus, veluti si v. g. totũ corpus aut pars eius aliqua, remolliatur aut propter humoris aduentitij copiam, euacuãtibus, aut propter vacuitatem (vt ait montanus) attrahentibus, aut propter alias causas, ijs quæ causæ mollitiem inducẽti peculiariter aduersantur. Neque verò diminutus propterea, repræhensioneque dignus censendus est Galenus, nam cum superius plura medicamentorum emollientium genera breuiter constituisset, & id tantùm fusius fuisset persequutus, cui maximè propriè nomen illud conguere videbatur, & illud demum calidum ac siccum statuisset: tum, non erat necessarium, vt indurantium genera pariter omnia percenseret(cuiuis enim notum est, quot modis dicitur vnum contrariorum, tot etiam modis & alterum dici) sed satis illi fuit,

fuit, vt postquàm emollientium propriè dictorum naturam tradidisset, indurantium quoque genus illud pertractaret, quod maximè propriè tale cum sit, & superiori contrarium, frigidum ab eo constitui debebat & humidum, hoc est, qualitatibus, quæ prioribus sunt aduersæ, præditum. Est enim huius indurãtium generis quàm aliorum & vsus frequentior, & notio generalior: vnde Galenus, loco superius citato dicit, se generales duntaxat facultates leuiter definire, non autem ad particularem materiam sermonem deducere. Quòd autem Galeno cõtradicat Auerrhoes, inquiens humiditatem humectare, non indurare, meliusq́; poni potuisse cum frigiditate siccitatem, non rectè facit, vtpote qui Galeni mentem non est assecutus: Galenus namq́ue per humiditatem, non eam prorsus absolutã intelligit, sed terrenam simul & aqueã, ex pugnantibus facultatibus compositam exiccante videlicet & humectante,

qua ratione ſic refrangitur humiditas à ſiccitate vel aquea potius humiditas à partibus terreſtribus, (ſic enim ille loquitur) vt adeò vel emollire, vel humectare, prout aliâs facere deberet, non poſſit.

Sub emollientibus & indurantibus compræhenduntur ea, quæ laxant, ac tendũt, illorum veluti ſpecies quædam: quæ namque tenduntur duriora ſeipſis euadunt, quę laxantur, molliora, quę tẽdunt, rem etiam quamuis duriorem, quæ laxant, molliorem reddunt, ac laxa demum omnia, mollia, tenſa dura ſunt, non econtra, quodque ſentẽtiam hanc maximè confirmat, durities ac mollities tam carnoſis quam neruoſis ęquè partibus adueniunt laxitas autem & tenſio ſolis quodammodo neruoſis. Quo fit vt ſeperata tractatione non indigeant, cum quę ea de mollientibus & indurantibus dicta ſunt, poſſint ad ipſa non incommodè ſecundùm proportionem quandam accommodari.

Leni-

Lenientia vocãtur hic à nobis ea medicamenta, nõ quæ vulgò ſic dicuntur, hoc eſt, quæ vẽtrem & aluum ſoluũt ac lubricant: ſed quæ, veluti dicit Galenus in arte medicinali ca. 95. morbo ſunt in aſperitate cõtraria, quæq́;, prout ipſe 2. ſimp. 14. teſtatur, epiceraſtica ſeu temperantia propterea dici ſolẽt, quia dum exaſperationem emendant partem cõtemperant ac ſui ſimilem vbiq́; reddũt, & faciunt, vt, quæ prius erat inæqualis, aſpera, rugoſa, nunc plana, polita, terſaq́ue, ſuperficietenus appareat. Vocantur hæc eadem ab alijs læuigantia, quòd læuorem inducant & ſubſidentias eminentijs adæquent, ne quid ex inæqualitate veniat incõmodi, nequeantq́; propter ipſam, res huc illuc facilè ferri, fluereque pro naturæ modo. Prouenit inæqualitas & aſperitas cõmuniter, vel ab eroſione, vel à deſiccatione, duplexq́; proinde læuigantiũ ſeu leniẽtiũ iſtorũ gen⁹ cõſtituitur: vnũ eorũ, quæ debẽtur eroſioni, ſub quo glutinantia, ſarcotica

cica-

cicatricemq́; gignentia continentur, alterum, eorum quæ ſiccitatem & corrugationem tollunt, cui ſubiecta ſunt humectantia, non quidem omnia ſed aliqua, de quibus ſolis (nam de prioribus, in capite de medicamentis ſubſtãtiam continentem generantibus abundè dictum eſt) hoc loco dicere debemus. Itaq́ue quæ ſiccitatem tollunt, humida ſint oportet, non prorſus tamen aquea, ne protinus diffluant, ſed viſcida, corpulentiæ nonnihil habentia, ſic enim per vniuerſam ſuperficiem ęqualiter extendi, partes depreſſiores ac poros implere, diutiuſq́ue firmari poſſunt in exiccata vel exaſperata parte, nam affectio ſicca (cum contumax ſit & non facilè cedat) medicamentis opus habet humectantibus, quæ parti laboranti diutius adhæreſcant. An autem ea frigida debeant eſſe vel calida certò definiri nequit, quoniam cum humiditate nunc caliditas nunc frigiditas haud tamen vehemens coniuncta requiritur,

prout

prout ex exemplis cerni poteſt. Exempla ſunt, Albumen oui, vel ouum integrum, Althæa, Amygdalæ dulces commanducatæ cum ſaluia permiſtæ, butyrum, caſſiæ medulla, ficus, glycirrhiza, iura pinguia, lac, lini ſemen, medulla pinguium animalium, mucillago, tum pſillij, tum cydoneorum, oleum Amygdalarũ dulcium, oleũ vulgare, pinguedo ſuilla, pruna, ptiſana. Saccharũ præſertim penidiatũ, ſeſamum, ſebeſté, ſpinachia, Tragacanthum, vuæ paſſæ maceratæ, vinum dulce, necnon alia, quorum, ad arteriȩ tracheæ, ventriculi, faucium, ac aliarum partium aſperitates leniendas, frequentiſſimus eſſe ſolet vſus.

Exaſperantia medicamenta ſunt ea, quæ ſummam partis alicuius ſuperficiem nimio læuore complanatam, & proinde nimis lubricam, eminentijs quibuſdam ac depreſſionibus inæqualem ita reddunt, vt per eam haud ita facilis rei cuipiam præbeatur tranſitus, ac fa-

ac faciunt, vt quæ diutius in corpor[e] morari deberent, importunius & inté[m]pestiuius (vt ita dicam) elabi nequeant. Cum autem læuitas tres præcipuè causas agnoscat, humiditatem videlicet, lẽtorem, & laxitatem, tum illa, quæ fit ab humiditate, siccãtibus, ea quã humorũ lentor profert detergentibus, ea demũ, quam laxitas producit, astringentibus curari debet. Vnde Galenus, artis Medicinalis c. 95. Quibuscunque læuitas (inquit) præter naturam inest, asperitas est reuocanda, medicamentis quæ sufficienter abstergunt & parùm astringunt. Horum autem medicamẽtorum (quoniam eorum facultates ad hunc locum propriè non pertinent) exempla vel è suis infra sedibus haurienda sunt, vel ab ijs petenda qui de lienteria scripserunt, nam huic vni morbo magis peculiariter deberi videntur hæc medicamenta quàm alijs quibuscumque reliquarum corporis partium affectionibus. Attenuantium & incrassantium medicamentorum etsi varius sit vsus, haud po-

stre-

remus tamen is eſt, quòd humores vi-
oſos in venis exiſtentes, ad expulſio-
em diſponant, & faciant, ne ſua, vel
raſſitie, ſubſiſtant, & expellenti facul-
ati reſiſtant, vel tenuitate, naturæ mo-
um, anteuertant, aut eludant, ante-
ertũt, quando ſymptomaticè fluunt,
ludunt, quoties naturæ molitionem,
mpreſſionem, & impulſionem, ce-
entia, declinant. Cum igitur hic ſit
ræcipuus amborum vſus, & vtraquè
ropterea dicantur præparantia, tum
peræpretium eſt, vt, ſi velimus exem-
lis ea, veluti decet illuſtrare, de ſucco-
um præparatione pauca quædam ad-
otemus. Et rurſus cum iſta ſuccorum
præparatio nihil aliud ſit quàm eorun-
dem concoctio, cuius frequentius eſt
& vſitatius apud authores nomen: poſ-
ſintquè, quæ de præparatione dici de-
berent omnia, ſub concoctionis ex-
plicatione facillimè comprehédi, tum
ab inſtituto noſtro non erit magis alie-
num, immò magis illi fortaſſe conſen-
taneum,

taneum, vt de concoctionis notione naturaque breuiter disseramus. Quare quod ad concoctionem seu coctionem attinet, ea duplex est, vna propriè pressèq; sic dicta, per quam cibus ac potus in chylum, chylus in sanguinem, sanguis in corporis nostri substantiam trásit, ac proinde definitur alteratio nutrientis in propriam qualitatem eius quod nutritur, hoc est, mutatio non accidentalis, sed specifica, qua scilicet per omnia mutatur res ea quæ nutrit, in substãtiam corporis nutriti, cui quamuis antea fuit dissimilis, nunc tamen non similis tantùm post coctionem euasit verum etiam eadem cum ipsa, nec ab ea, vel nomine, vel nominis ratione differt, de qua fusius hic dicendum non est: alia, quæ minùs propriè lateq; sumpto coctionis vocabulo, sic dicitur, hoc est coctionis nomen, in vniuersaliori suo significato sumptum, sortitur, qua ratione dixit Hyppocrates id omne coctum seu cócoctum, quod est quoquo-
modo

modo victum à natura, licet nõ ita planè sit ab ea, subactum & superatum, vt debitam corporis nostri qualitatem recipere valeat, & in ipsi⁹ omnino substãtiam mutari. Galenus 2. de ratione victus in acutis 44. dicit coctionis id vniuersalius esse significatũ, cũ natura causis morbum facientibus ac fouentibus fortior, eas permutauerit pro suo robore, veluti cũ humores (inquit) vitiosi quãdam moderationem aut adæquationem adipiscuntur in morbis, quam vbi consecuti fuerint facilè postea pellũtur extra corpus ab expultrice facultate, quæ nunquam nisi peracta coctione salubriter munere suo fungi potest. Etenim, omnis excretio, quam nõ præcedit huiusmodi cõcoctio symptomatica censeri debet, non aliter quàm cruda lientericorum deiectio. Quæ sanè Galeni verba non sic intelligenda sunt, quasi sit alius isti quàm priori coctioni finis à natura per se primò præstitutus nimirũ expulsio: Semper enim in hac,

quemadmodum & in illa, natura materiã, quæ concoquitur, contendit in propriam corporis qualitatem tanquàm in finem ſuum commutare, quem quidẽ in cõcoquendis cibis aſſequitur, in morbificis humoribus concoquendis cõſequi non poteſt. Nam cum putridi ſint, & à natura prorſus alieni tales humores, tum fieri nequit, vt corpori penitus aſſimilentur, & propterea quãuis natura circa mutationẽ ipſorũ & alterationem verſatur, idem ex ijs, quod ex optimis alimentis conſequi cupiens, ſuo tamen fine fruſtratur, propter materię peruerſitatem, & quandoquidem eos omninò benignos efficere non valet, eam quam poteſt in ipſos benignitatem inducit, & facit vt, cũ nutritioni ſint inepti, depoſitis ſaltem acrimonia, craſſitie, tenuitate, caliditate, frigiditateuè nimia, citra patiẽtis moleſtiã expelli poſſint. Cauſa coctionẽ iſtã efficiẽs, eſt calor tẽperatus ſeu naturalis, quẽ vbiq; Galenus coctionis authorẽ agnoſcit: nã queẽadmodum

frigus

frigus naturæ nullũ opus ingreditur, ita calor immoderatior ipsius opera quæuis corrũpit & euertit, qualis enim causa talis effectus, & immoderatum omne naturę prorsus aduersum est & inimicũ. Nec refert, quòd ea, rebus, interdũ frigidis, interdũ excessiuè calidis, promoueatur, quoniã id non propria ratione sed ex accidẽte cõtingit: Accidere nãq; solet, vt materia sit, aut tã multa, quę nequeat à calore naturali solo superari, sed exigat validiorẽ; qui, vel fomentis, vel medicamentis illi veniat in subsidium: aut tam feruens, vt calorẽ etiam naturalẽ in igneum cõuertat nisi rerũ frigidarũ vsu reprimatur, quibus tamẽ casibus nec aduentitio calori, nec frigiditati per se primò coctio tribuenda sed calori naturali; qui sic ab ijs adiuuatur ne propter materię vel multitudinem imminutus languescat, vel feruorem auctus ignescat. Calor iste coctionis hui[9] author materiã quam coquit, quãdiu coquit, semper facit crassiorẽ, quo fit, vt Aristoteles

4. meteororum 3. dixerit, coctionem non modò propriè dictam, sed & eam etiam quæ metaphoricè coctio dicitur (qualis est pituitæ tuberculorum & similium maturatio) semper incrassare, fieriq́ue vi coctionis ex spiritualibus aquea, ex aqueis terrea, & ex tenuibus semper crassiora, quæcunque coquuntur, omnia. Cuius assertionis Aristotelicæ rationem reddés Vallesius, ait, partim humorem inutilem, qui tenuissimus idem est absumi & in halitum emitti, partim eum qui reliquus est & vtilis admisceri cũ siccioribus partibus, & hac ratione, quæ prius, hoc est, ante coctionem, erant tenuiora, per coctionem euadere crassiora. Quin & Hyppocrates Aristotele longè vetustior idẽ sentit, & Galenus in alijs ferè cunctis Aristoteli contrarius, in hoc illi suffragatur: Ac vero quidẽ est simile, quòd, vt alia pleraq́;que rectè dicta sunt ab eo, sic hanc etiam opinionem Aristoteles ex Hyppocrate decerpserit, quam propterea

pterea Galenus cõfutare nec voluit nec
potuit, cum præſertim non ratione tan-
tùm, verumetiam ſenſu, cui medicus
repugnare non debet, vndiq; ſtabilia-
tur. Quare cum hanc ab Hyppocrate
ſententiam hauſerit Ariſtoteles, & Ari-
ſtoteli Galenus aſtipuletur ac experiẽ-
tia rationi, ratio viciſſim experientiæ tá
egregiè reſpondeat: tum haud ſanè vi-
deo cur hæc aſſertio veriſſima cenſen-
da non ſit & ab omnibus recipienda.
Si quis tamen ei contradicat, & dicat in-
de ſequi, quòd pituita cruda pariter &
craſſa deberet tandem gypſea fieri ſeu
lapidea, ſiquidem quò magis coquitur
eo craſſior euadat, huic tria ſunt incul-
canda, primum eſt, quòd antequàm ma
teria craſſa, prout eſt v.g. pituita cruda,
coquatur, fundi prius illa debeat & eli-
quari, veluti notat Galenus libro de op-
tima ſecta ad Thraſybulum ca. 4 ſecun-
dũ eſt, quòd iſta fuſio vel eliquatio non
ſit concoctio dicenda, veluti docet idẽ
Galenus 3. de potentijs ſeu facultatibus

naturalibus 4. nam quemadmodum in coctione ventriculi, conuersionem ciborum in cremorẽ, Galenus ibi distinguit ab ipsa coctione, sic necessariũ est, vt eliquatio pituitæ distinguatur ab ipsius coctione: tertium est, q, postquàm facta fuerit humoris crassi sufficiens eliquatio qua conuertitur in liquorem valdè tenuem, tunc primùm vis concoctrix insurgat & tenuem eum humorẽ subigens, ad æquabilem quandam consistẽtiam perducat, eaq; ratione crassiorem illum efficiat. Et ex his tribus, non tãtùm dubitatio iam proposita, verũetiam alia quæuis, quam excogitare quispiam valebit, facilè solui potest. Ad eam igitur quæ prius est allata, dicẽdum, pituitam crassam coctione fieri crassiorẽ, nõ quidem seipsa, cum adhuc esset crassa, sed postquam fuit per liquationem & fusionem ad coctionẽ disposita, seu (quod idem est) attenuata. Nam sicut in ventriculi coctione cibus crassior haud euadit quã erat priusquàm à comedẽte

sume-

ſumeretur, ſed poſtquàm ſumptus, dẽtibus attritus, ſaliuæ permiſtus, in ventriculũ demiſſus, humore plurimo perfuſus in cremoris ſpeciem quandã fuerit conuerſus: ſic in pituita cruda, craſſiſq; generis eiuſdẽ humoribus coquendis idem omninò ſentiendum prius, videlicet eos attenuari quàm coquãtur & poſtquàm attenuati fuerint, ſeipſis iã attenuatis craſſiores fieri. Nec aliud ſignificaſſe cenſeo Galenum, cum 4. de ſanitate tuẽda, capitib. 6. & 9. dicat humores qui ſunt intus, & in venis, attenuandos & concoquendos eſſe, non quidem (vt aliqui falsò putant) attenuationem cũ coctione confundens, ſed ordinem oſtendens ſecundum quem natura procedit, & quem obſeruare debet medicus naturę miniſter. Vnde nutriendum (inquit) cibis eſt, qui citra calorem extenuent, cuiuſmodi Capparis eſt ex oxymelite vel aceto & oleo ſumpta, ad duos aut tres dies, vt dictum eſt: &, ſi crudos iam ſuccos ſatis attenuatos

ſperes, vinum dabis, quod & ſubſtantia tenue ſit & colore fuluum albumue, hoc enim ad ſucci bonitatem & concoctionem facit, &c. Et quamuis aliter existimare videatur Auicenna, qui lib. 1. fen. 1. doctr. 6. cap. 3. definit digestioné, aut attenuationem, ſi ſit groſſities, aut ingroſſationé, ſi ſit tenuitas, & affirmare quòd res aliquę coctione fiāt tenues: non tamen ille, vel ſic ſentit, vel propter ea verba damnandus (prout eum damnat Saluſtius Saluianus libro ſecũdo de concoctione ca. 1.) Sed de tenuitate diſtinguendum & dicendum eam eſſe duplicem, abſolutam videlicet & reſpectiuam, hanc autem interdum eſſe coctionis ſobolem, illam nunquam. Quarè, cum dicit Auicenna coctione rem aliquam fieri tenuem, ſic eſt intelligendus, quaſi dicat eam rem quæ cum eſſet valdè cruda fuerat etiam valdè craſſa, poſtquàm eſt cõcocta, minus iam craſſam euaſiſſe ſeu tenuiorem, quàm quãdo fuit cruda, non abſolutè tamen tenuem,

nuem, sed comparatè seu respectiuè. Quo fit, vt idem Auicenna 1. 4. tract. 2. cap. 7. suam sententiam explicet, & de succorum digestione loquens, eam esse dicat ęquationem grossæ, cum subtiliatione, subtilis, cum ingrossatione, significans, neque tenuitatem, neque crassitiem absolutam esse coctionis metam, sed in crassitie potius ac tenuitate mediocritatem quandam, quam respectu crassitiei, quæ præfuit, tenuitatem, tenuitatis verò, crassitiem meritò quis appellare poterit. Et hinc apparet, quæ sit medicamentorum, humores in corpore contentos, attenuantium, & incrassantium natura, materia verò, sua cuiusuis humoris, præterquàm sanguinis (is enim, vt ait Auicenna, non est ex eo genere, in quo expectatur digestio) peculiaris est & propria. Bilis namquè, cum communiter tenuis existat, præparabitur incrassantibus & inspissantibus medicamentis, tam simplicibus quàm cõpositis, Simplicia sunt Acetosa, arantio-

rũ acidorũ ſucc⁹, aqua frigida, atriplex, Berberis, blitũ, ceraſa, citriorũaciditas, cucumis, cucurbita, endiuia, hordeũ, iuiubæ, lactuca, limonũ, acor, oxytriphyllon, poma ſubacida, portula ca, ſedũ maius, Solanũ hortenſe, Tamarindi, violæ: cõpoſita ſunt, cõſeruę, nenupharina, roſacea, violacea, Iuleb roſarũ & violarũ, Oxyſaccharũ, Rhob de Ribes, Syrupus de acetoſitate arãtiorũ, citri, limonũ, de agreſta, cichoreo, granatis, intybo, nymphæa, ſucco acetoſæ, roſace⁹ ac violace⁹ ſimplex & ſimilia. Pituita verò, cũ cõmuniter craſſa ſit ac lenta præparabitur attenuãtibus & incidẽtibus, qualia ſunt ex ſimplicib⁹ acorus, amaracus, aniſũ, betonica, daucus, eruca, fæniculũ, gentiana, hyſſop⁹, nepeta, petroſelinũ, praſſiũ, pulegiũ, ſaluia, Saturegia, ſerpillũ, ſiſymbriũ, ſtęchas, thymus: ex cõpoſitis, cõſerua, anthos, betonicæ, maioranæ, cortex, citri cõditus, enula cõdita, mel roſaceũ oxymel ſimplex, cõpoſitũ, ſcilliticũ, ſyrupus acetoſus ſ. de betonica, de duabus & quinq; radicibus, de hyſſopo, de ſtæchade, cũ decoctionibus & id gen⁹ alijs.

Melancholia demũ, cũ cõmuniter crassa sit & fæculenta, medicamẽtis opus habet extenuantibus, humectãtibus & aliquantulũ calefaciẽtibus, quibus subigatur, cuiusmodi sunt simplicia quidẽ Adianthũ, borrago, buglessa, butyrũ, capparis, echiũ, ficus, fœniculũ recẽs, liquiritia, mora matura, poma dulcia, radices petroselini, rapa dulcia, Saccharũ tabarzet, Scolopẽdriũ, tamariscus, vuæ passę; cõposita verò citria cõdita, cõserua, borraginis, buglossę, violarũ, syrupus, byzãtinus, de buglossa, de calamẽtha, de epithymo, de fumaria, de lupulis, de melissa, de pomis, de scolopẽdrio, de thymo, quorũ etsi vix vllũ ferè sit, ex cõpositis intellige, quod eũ exactè gradũ caliditatis ac frigiditatis obtinet, quẽ humor ille requirit, permisceri tñ sic possũt pleraq; cũ alijs, vt ad iustã quam cupimus tẽperaturam redigant. Hinc cũ syrupis de fumaria, de lupulis, & de epithymo, syrupũ vel violatũ, vel de pomis acetosis Mesuæ, vel nenupharinum, vel oxysaccharum, & similia; cum syrupo de buglossa parum aceti, cum syrupo, de pomis oxymel, cũ

alijs alia permiſcẽt practici, ne vel ſuprâ vel intrâ modum aut humectẽt, aut calefaciant, aut attenuent. Et hæc ea ſunt medicaméta quæ cõmuniter ad dictos tres humores præpauãdos vſurpantur, communiter inquam, ne quis hic impingat, ac putet, ea ſola, quæ cuiuis humori tribuuntur, illo quouis modo peccante, ſemper vſurpanda. Fieri namquè poteſt, vel, vt bilis craſſior, pituita, tenuior exiſtat, prout magnum eſſe ſolet in eorum alterutro, quoad tenuitatem & craſſitiem, diſcrimen, vel vt humorum iſtorum aliqui ſint aliter ac aliter cõſtituti ſeu conditionati quoad caliditatem acrimomiam, copiam & ſimilia: quo caſu nemo certè non intelligit eos aliter ac aliter eſſe præparãdos, quod obiter admonuiſſe ſit ſatis, cum hic naturas ac materias eorùm tantùm attenuãtium & incraſſantium medicamentorum proponere conſtituerimus, quæ cuiuis humori præparando communiter à practicis aſſignantur, de quibus quo-

quoniam abundè dixisse videmur, nūc lterius procedemus.

DE GENERALI, MEDICAMENtorum, quorum actio seu motus ad locum terminatur, diuisione: primarumq́, quæ resultant ex ipsa, differentiarum, notionibus & naturis.

CAPVT XIV.

MEdicamētorum, quæ materiam quoquomodò localiter mouēt, alia continentem, alia contentam mouent, idem hic intelligentibus nobis per materiam, quod superius per substantiam, & per materiam continētem, partes corporis solidas, per materiam contentam, humores denotantibus. Partes solidæ veluti sunt membranæ, caro, vena, cutis, & id genus aliæ, loca sua totaliter mutare nec possunt nec debent, sed secūdùm aliquid, vnde Galenus 5. simpl. 14. quatuor tandummodò me-

dò medicamentorum eorum, quæ faciunt vt ipsæ loca sua quodãmodò mutent genera cõstituit, astringentia nimirum aperientia, condensantia, rarefacientia, de quibus nos quoq; singulis paucula quædam adnotabimus. Astringens medicamentum vocatur aliâs à Galeno contrahens, constringens, obstruens, & occludens, contrahit enim & occludit vasorum oscula, quæ præter naturam aperta sunt, &, si paulò fuerit validius, vicinam quoque partium substantiã coarctat, constringit, & constipat 3. simp. 17. Frigidum, est terrenum etiã crassa corporis consistentia, mordacitatis expers 4. simpl. 7. Quo fit, (inquit) vt si gustanti tibi medicamentum, aliquod astringẽs & mordax appareat, id missum sit faciẽdũ, & quærẽdum illud, quod citra mordacitatem astringit, cuiusmodi sunt, balaustiũ, galla, cytinus, hypocistis, solanũ glauciũ, acacia, succus Rhois & similia, quæ quidẽ exactè percipiuntur astringere, nec vllã aliã manifestã habẽt qualitatem.

tem. Neq; verò mirum (ait idem Galenus 5. simpl. 14.) videri debet, quòd huiusmodi sola, contrahere possint, & occludere vasorum oscula, præter naturã aperta, nam his solis, quęcunque requiunt ea, quæ contrahere debent, adsunt omnia, nimirum consistentiæ crassitudo, qua foris incũbant, nec paruos meatus penetrare possint; tum frigiditas intro premens, atque vndiquaq; in se cõtracta vicinaq; corpora cogens ac contrahens, & denique siccitas humorem depascens, & partem roborans. Itaque si hæc omnia cõueniant, osculum claudetur, ceu à manibus foris, ab ipsis nimirum astringentis substantiæ partibus contractum. Ea verò medicaměta, quæ frigida quidem sunt, aut æquè aut amplius, sed substantiam sortita sunt aqueam, ea debiliter & contrahunt & constringunt, nimirum propter mollitiem. Quippe quicquid valenter tũ constipare tũ cõstringere debet, robur quoddã, & renitens ac durum habeat oportet: quo cum careant medicamenta naturæ

magis

magis aqueæ, tenues quidem poros in vnoquoque corpore contrahunt atque condensant, cæterùm instrumentum vndequaque totum constringere nequeunt: ac si diceret, quæ notas habent superius positas, illa sicut arctius adhærent, sic accuratius meatus maiores obturãt opplent & oppilãt. *Hæc Galenus*, cui si quis obijciat, aut calida quædã & mordacia vehemẽter, astringere, veluti chalcitidẽ, calcanthũ, misy, sori, squamam æris & alia nõnulla. Respondebit quòd ea minus propriè dicantur astringere, siquidem caustica cum sint, tum, ea tantùm ratione cõstringunt, qua cõburunt, & crustam inducunt: aut ab authoribus assignari quædam astringentia quæ tenues habent partes, vt Absynthium, betam, lenticulam, rosam, & similia, dicet ista quoniam altius penetrant, in profundioribus quidem corporis partibus astringere, leuius tamẽ, quàm vt astringentia vera dici mereantur. Aperientis medicamenti quamuis

multi-

multiplex ſit acceptio, quatenus videlicet, quicquid anguſtiam quoquomodo factam tollit (ſiue poros cutaneos frigore conſtrictos reſoluat, ſiue carnē aut aliā rem quampiā in cauitatibus internis natam deradat, ſiue ſuperincūbens, vaſi cuipiam, viaſque compreſſione coarctans, pondus amoliatur, ſiuè vacuationem aliquam immoderatā, propter quam, amiſſa naturali diſtantia, vaſa cōcidunt & cōniuent, ſiſtat, ſiue coaleſcētia meatus alicuius latera, rurſus à ſe ſeparet inuicem, ſiue vias ab humoribus craſſis obſtructas ab infarctu vel obſtructione liberet, ſiuè cōtractas, vel ob ſiccitatem, vel ob cauſam aliquam aliam, partes dilatet, ſiue vaſorum demum oſcula reſeret) aperiens vocari ſolet: nos tamen hic per aperiens medicamētum id tantùm intelligimus, quod aſtringēti, de quo iam ſermonem habuimus aduerſatur. Eſt autem illud (vt ait Galenus) calidum, craſſarum partiū, & mordax. Calidum vt penetret, craſſarum partiū,

vt calor diutius conſeruetur nec expiret facilè, mordax, vt vbi ſuo functũ fuerit officio, facultatem expultricem irritans, ab ea ſtatim excutiatur, ne diutius adhæreſcens, fortius, quàm opus eſſet, operetur. Huius generis, apud Galenum 5. ſimp. 14. ſunt ciclaminus, allia, cepæ, fel taurinum, vnguentorum omnium ſubſidentiæ, quæ vtiquè & occæcatas (inquit) aperiunt hæmorrhoidas: apud Bieſim, Scilla, raphanus, Aſarum, Amygdalę amarę, cnicus, aloe, myrrha, necnon alia, quæ quamuis tam craſſam ſubſtantiam non habent, ſanguinem tamẽ acrem & fluxibilẽ reddere poſſunt, vt, Capparis, Iris, ariſtolochia, gentiana, coſtus, peucedanum, anethũ, abrotanũ, Ambroſia, betonica, praſſium, chamædrys, chamæpithys: quibus addunt adhuc alij radices & grana iuniperi, quinque radices aperientes, apij videlicet, aſparagi, bruſci, fœniculi, petroſelini, lupinos, euphorbium, hyſſopum, nitrum,

oleum

oleum anisi, chalcanthi, cynamomi, fœniculi, garyophyllorum, succini, frigida quoque quædam, quæ tenuia cum sint, profundius penetrant, vt serum lactis, oxalis, quatuor semina frigida maiora, cucurbitæ, scilicet, citruli, cucumeris & melonum, semen etiam endiuię, scariolæ, seridis, & intyborum genus omne. Verùm, ex istis pleraque, non tam vasorum orificijs reserãdis, quàm viscerum obstructionibus, & alijs angustiæ generibus tollendis, conueniunt; ac propterea non fuissent hic à nobis commemorata, nisi, quòd inde vellemus, vt videat studiosus Iuuenis, quàm confusè tradãtur à nonnullis omnia, citraq; distinctionem vllam, ea quæ nomine tenus sunt quoquomodò similia, quantumuis effectis & operationibus discrepent, in eundem temerè catalogum cõijciantur, & (quandoquidem contraria contrarijs curantur) discat diligẽter attẽdere, quæ quibus opponantur, operamq; nauet, vt suũ cuiuis generi contrariũ sic assig-

netur, ne, dum morborũ remedia rimatur, vana potiùs vocum similitudine seducatur, quàm vera rerũ intelligẽtia, rationeq; ducatur. Atqui sunt ea sanè, de quibus nũc agimus & quorũ exẽpla Galenus attulit, aperientia, stegnoticis & astringentibus ediametro cõtraria, quę verò numerãtur ab alijs, aperiẽtia quidẽ sed synacticis aduersa, nec tã anastomatica, quã ecphractica, sic dicta, quòd tenuitate partiũ altius penetrent, & materiam crassam lentam, viscidam in visceribus consistentem & obstructiones in ijs facientem, attenuẽt, incidant, dissecent, & expurgent.

Densantia seu condensantia Medicamenta quamuis cum astringentibus aliquam habent affinitatem, ab ijs tamẽ differunt, quòd astringentia vasorũ extremitates & orificia propriè cõtrahãt, densantia cutis tantummodò meatulos ac poros exiguos occludãt: quo fit vt nõ æquè terrestria debeant esse densantia, ac sunt astringentia. Quod cum aduer-

tereт

teret Galenus, tum densantia frigidam dixit habere naturam & humidam, hoc est aqueã, plurimùm videlicet ab astringentium (vt ita dicam) terrestreitate distantem, non aliud denotans, quàm astringentia magis esse terrea, densantia magis, non autem simpliciter, aquea. Quod sanè manifestè videbit is qui cõferre velit horum exempla cum exemplis illorum, nam quamuis, aqua frigida, portulaca, tribulus viridis, psillium, herba quã muris aurẽ vocitant, lenticula palustris, hyosciamus, cicuta, mandragora, papauer & id genus alia, quę Galenus esse dicit densantia, non sint tã terrestria, quàm sunt ea quæ superius attulimus in astringenium exẽpla: non sunt tamen terrestreitatis & siccitatis omnis expertia, sed veluti notat idem Galenus 5. simp. 10. substantiam nacta sunt frigidam, & ratione passiuarum qualitatum ex pugnantibus facultatibus compositam, terrenam scilicet & aqueam.

Densantibus ex aduerso pugnant ra-

refaciẽtia, quorum ea vis eſt, vt denſiores cutis poros perſpiratum prohibentes dilatent, & faciant, vt per ipſos vapor incluſus, commodè diffiari poſſit. Vnde ſtatuuntur à Galeno, tenuium partium, modicè calefacientia, minimeq; deſiccantia, tenuium partium, vt in ipſas pororũ anguſtias ſe melius inſerere valeãt & ingerere, modicè calefaciẽtia, nè, ſi vehementius eſſent calida, vel cutim (vt ait Montanus) adurerẽt, & per aduſtionem contraherent & condenſarent, vel ſenſibilia corpora colliquarent, minimè demùm exiccãtia, nè, per acrimoniam, quæ ſiccitatis eſſe ſolet comes, dolores & horrores excitarent, etenim rarefactio dilatatioq;, voluptatis, non etiam doloris opus eſt, & quemadmodum dolor comprimit ita voluptas expandit. His tribus notis rarefacientia diſtinguuntur à diſcutientibus, aperientibus, & detergentibus, quæ videntur illis haudquaquàm diſſimilia: moderata namq; caliditate, differunt à diſcutientibus,

tibus, quæ cum non tantùm id quod in poris cutaneis continetur, verùm illud etiam, quod intrinsecus consistit digerere nata sunt, tum rarefaciẽtibus, quorum actio non vlteriùs tendit, quàm ad partes exteriores, eò debẽt esse calidiora, quo longius illis est iter peragendũ, tenuitate partium ab aperientibus separantur, quandoquidem aperientia, veluti paulò iã antea monuimus crassam habere debeant substantiam, quia deniq; minimè sunt siccantia, segregãtur à detergentibus, etenim vt detergamus (inquit Montanus) nec refrigeratione, nec calefactione indigemus, sed exiccatione. Frigida nãq; quę abstergunt, sunt, sicut hordeum, farina fabarũ, furfures, succus limonum; omphaciũ, idest, succus vuæ immaturæ, exiccando idem potest, licet ob multam obstructionem nõ adeò penetret ad profundũ sed superficiem tãtùm abstergat. Calida verò abstergentia sunt, sicuti nitrũ, amara quæuis & salsa, ac nonnulla quæ moderatè

acria ſunt, dulcedine admixta, ſicut mel & ſaccharum, talia enim exiccant, ſine attractione. Sunt tamẽ & quædam quæ impropriè abſtergentia vocantur à nõnullis, & quæ abluũt, veluti ſunt omnia liquida aquea, quæ ſi dulcia quoq; ſint, habẽt ex dulcedine ſubſtãtiam quandã terreſtrem, ſiccam moderatè excoctã, cuius ratione vera abſterſione participant, vnde talia media quodammodò ſunt inter ea quæ propriè & impropriè abſtergunt, talis eſt ſuccus & caro peponũ ac melopeponum. Adhuc alia ſunt, quæ aſperitate ſubſtantię ſuæ partes extimas abradunt, quæ impropriè vocantur etiam abſtergentia, ſicut eſt parietaria, lupulus, cauda equina, vitrum contritum, margaritæ & reliqua eiuſmodi. Hæc Montanus, ex quibus vt ſiccitas ad deterſionem inprimis eſſe neceſſaria declaratur, ita facilè colligitur tota deterſoriorũ, quorum alibi naturas haud explicauimus, ratio: nunc igitur de rarefacientibus quod reſtat abſoluamus,
& ex-

& exempla quidem eorum dicit esse Galenus Althæam, Chamæmelum, & quod ex ijs præparatur oleum, nec minus quod ex agrestibus conficitur cucumeribus, quin & oleum vetus, & cicinum, & raphaninum ex eadem (inquit) sunt nota. Quasi dicat, per moderatè calida non ea tãtùm intelligo, quæ primo sunt ordine calida, veluti sunt, chamæmelum, & althæa: verumetiam ea quæ, quamuis secundum aut tertium ordiné attingunt, respectu tamen corporis durioris ac densioris, haud immoderatam habent, vel calefaciendi, vel rarefaciendi, potestatem, vt oleum vetus, & cicinum, & raphaninum, nam & ista corporibus quibusdam haud erunt improportionata nimisve calida, medicum enim cõtemplari decet, non tam, vt per cõtraria, quàm, vt per ea, quæ pari proportione sunt contraria, curatio quæuis instituatur, &c.

ALIARVM, QVAE CONSVRgunt ex praecedente diuisione, differentiarum explicatio.

CAPVT XV.

QVæ materiam contentã ex ſuo loco dimouent medicamenta, partim ex modo quo mouent, partem ex loco per quem mouent, partim ex materia quam mouent denominationes ſuas ſortiuntur. Primi generis ſunt, quæ trahunt ac repellunt, ſecundi quæ per nares, palatum, aſperam arteriam, aluum, vel Oeſophagum, quippiã educũt, tertij, quæ ſudorem, ſeroſos humores & aquas, menſes, vrinam, aut calculũ prolectant, quorum ſingula ſunt à nobis in hoc capite breuiter explicãda.

Per attrahentia medicamenta nõ intelligimus hic alia quàm quæ trahũt ex alto, quorum naturam Galenus 5. ſimp. 17. naturam ſic expreſſit. Attrahentia calida ſunt (inquiens) & tenuium partium, quod enim cum caliditate cõiunctam

ctam habet partium tenuitatem, trahit vehementius. Et hæc eorum essentia nunc sponte nascitur, nunc ex acescente putrefactione generationẽ sortitur. Sponte nascitur, vt dictamni essentia, & propoleos, & thapsiæ, & sagapeni, & succorum cyrenaici ac medici, & si qua his similis extiterit. Ex putrefactione, qualis est fermenti, & psorici quod vocant. Quòdsi fimis quoque ex putrefactione generatio constat, vtiquè omnes attrahendi facultate pollebunt, sed non parua illis inest diuersitas, nam columbinus admodùm attrahit: ex æquo autem vtrinque ab hoc recesserunt, ad calidius quidem anserinus, ad frigidius verò gallinaceuis. Secundùm igitur Galeni sententiam attrahentia debent esse calida sicca, cum tenuitate substãtiæ, sed quo gradu, non declarat. Montanus autem ait, quòd quæ moderatè trahũt, calida sint & sicca secundo gradu, quæ magis, tertio, quę maximè, quarto. Fernelius verò dicit medicamentum quod

ordine ſecundo completo calidum eſt ac tenue, trahere, quod iam tertio receſſu conſiſtit non attrahere modò, verum etiam quod attractum eſt diſſipare, eſſeque metaſyncriticum id eſt euocans ex alto & reſoluens, quòd deniq́ue hæc tum calore tum tenuitate ſuperat, reſoluendo veſicas excitare, diciq́ue vel rubrificans vel phoenigmum. Fernelium ſequitur Bertinus, & ipſius ſententiam his penè verbis exprimit ac explicat. Attrahunt natura calida, tenuium partium, vt plurimùm gradu ſecundo, ſicuti tertio aut quarto gradu attractum reſoluũt & diſcutiunt, cuius claſſis ſunt: anagallis, ariſtolochia, anacardus, anemone, bryonia, cyclaminus, calamintha, cardamũ, abrotanum, aſphodeli radix, elleborus, Dictamnum, euphorbium, geniſta, galbanum, fermentum, iberis, hermodactylus, lepidium, narciſci radix, propolis, nigella, origanum, piper, pyrethrum, aſſa aromatica, orobus, reſinæ omnes,

omnes, ruta, stæchas, sesamum, sagapenum, stercus omne siccum, sulphur, sinapi, struthium, styrax, thlaspi, terebinthina, costus, tithymalus & vrtica. Quinetiam, rubrificans, vel pustulas excitans calore & tenuitate aquosos humores elicit cuius familiæ censentur cantharides, stercns caprillum, anagallis, ephemerum colchicū, & tithymali omnes. Et istam sanè trahēdi rationem, qua scilicet aliquid extrahitur ex alto, medicamētis inesse, perq; calorem absolui, tota Medicorum & philosophorum schola, paucis exceptis semper existimauit. Inter paucos istos, Biesius opinatur ad extrahendam rem aliquam parti corporis cuipiam infixam non tam requiri vim quæ medicamentis inest trahentem, quàm vim ac facultatem naturę pellentem. Trahuntur autem (inquit) ea maximè quæ minùs à natura detinentur, qualia sunt ea quæ maximè sunt molesta, natura tractionem pellendo iuuante. Omnibus enim est insita facultas,

qua

qua quod alienum eſt expellant. Ita duplex hic motus in vnum conſentit extrahendi ſcilicet & expellendi. Quin & calorem exiſtimat nihil aliud facere, quàm exugere ſuccos ſibi proximos, quibus exuctis alij ne detur vacuũ ſuccedunt & his rurſus alij quoad omnes exhauriãtur, & ſic, quod Auicenna ſenſiſſe dicitur tractionem quæ fit à calido reducendam ad eã eſſe quæ fit à vacuo. Quam opinionem ab eo ſumpſiſſe, videntur alij qui dicunt, re quidẽ vera nec humores allici nec alias res extrahi per calorem, trahendo, ſed humores attenuatos ad partem à calore rarefactam & ampliatam ſponte confluere: ſpiculas, ſpinas & alias res inhærentes, emollita dilatataque per calorem parte, partim ſponte ſequi, partim à natura facilius pelli, metaphoriceq́; potius & impropriè vocari tractionem, eam quæ fit à calore ſuccorum & aliarum rerum eductionem, quàm eſſe realiter & verè tractionem. Cæterùm quicquid hac de re ſtatuatur, certum nihilominus eſt, o-

omnia

nnia quæcunque trahere quoquomo-
ò dicuntur, & in attrahentium exem-
la producuntur esse calida, tenuium-
que partium, qualia, præter ea quæ mo-
ò diximus, sunt, allium, Amaracus,
Ammoniacum, apium, arsenicum, a-
um, asarum, bdellium, bitumẽ, botris,
œpa, calx viua, centaurium vtrumq;,
Chalcanthum, Dracunculus, gentiana,
gladiolus, hædera, helenium, Iris, laser-
itium, laurus, lilij radices, Mastix, ne-
eta, nitrum, onosma, opopanax, pana-
is radix, pix, porrum, ranunculus, ru-
ia, seseli, Thapsia, verbascum, viscum,
Xyris, ex quibus plurimæ, non modò
quæ prostant in pharmacopolijs, verũ
etiã aliæ (prout ait Elegantissimus Fer-
nelius) multò præstantiores composi-
iones, in rem præsentẽ parari possunt.
Sub attrahentium censu compræhen-
duntur etiã dropaces, quæ fiunt ex pice
cum alijs permista, sinapismi, qui con-
iciuntur ex sinapi rebus alijs illi super-
additis, necnon alia compositionum
gene-

genera, quæ ſimul cum prædictis dicũtur etiam reuellentia, quoniam ſi ſupra locum affectæ parti contrarium ponãtur, ab ea reuocant & retrahunt fluxionem: ſic ſi fluxio fiat ad brachia, pedibus adhibita, quæ trahendi facultatem obtinent, medicamenta, fluentem ad brachia materiam reuellent, & econtra.

Repellens (inquit Galenus 5. ſimpl. 17.) vocatur illud, quod occurrẽtes ſibi ſuccos, in altum repercutit, & eſt perpetuò frigidum, atque ſi cum frigiditate partium craſſitudinem coniunctam habeat, veluti aſtringens violentius propellit. Ex quibus Galeni verbis medicamentorum repellentium, & vſum, & naturam, & differentias, colligere non eſt arduum. Eſt enim eorum vſus, vt occurrẽtes illis ſuccos, hoc eſt ad aliquam partem commeantes retrocedere remeareq́ue faciant, & ad locum, à quo fluere cæperunt, eos refluere cogant. Et quamuis, fieri poſſit, vt interdum in morborum qui fiunt à fluxione princi-

pijs,

pijs, id etiam quod influxit si modò paucum sit atque tenuius, necdum violenter impactum medicamentis istis inde dimoueatur, & ad partem contrariam impellatur, quia tamen id neq; tam sæpè neque tam commodè fit, nisi positis supra partem affectam repellentibus, reuellentia partibus contrarijs applicétur, ideò magis est ad humores qui fluunt adhuc, quàm eos qui iam fluxerunt & quiescunt, eorum vsus & frequens & accommodus: quo fit, vt excusandus sit Galen⁹, quòd dicto iam loco, de succis, qui iam in aliquam partem influxerũt, mentionem non faciens, dicat hæc medicaméta, succos ipsis occurrentes, hoc est fluentes adhuc, in altum hoc est, in aduersam illi, per quam feruntur viam trudere, vel retrò (prout vulgus loquitur) pellere. Naturam habet hoc medicamenti genus frigidam. Fugatur igitur à frigore calor, & is in fugam conuersus secum vnâ rapit humores, & facit vt cum ipso simul redeant, &, vt ita

dicam retrocedant, vel ab exterioribus ad interiora, vel ab interioribus ad exteriora, quo pacto dicuntur non immeritò repelli, seu quod idem est occursantis frigoris impetum declinantes, aliò ferri, quàm nisi frigus occurrisset, fuissent perlati. Quodsi verò calida quæpiã medicamenta repellere videantur, id quidem facient, non quatenus calida, sed quatenus astringentia, cumq́ue parum habeant (vt supra monuimus) astrictionis tum parcissimè quoque (veluti dicit Montanus) repercutient, aut non tam fortasse repercutient, quàm ad mẽbrum aliquod profundius penetrantia, succos intercipient, & ijs viam intercludẽt, ne possint vlterius proficisci. Quod ad differentias attinet, quemadmodum quæ repellunt frigida sunt omnia, sic quæ refrigerant repellẽtia sunt omnia, quo fit, vt, & dicantur ad conuertentiã, & pares habeant vtraq; differentias. Cũ itaq; frigida nec humida nec sicca sunt omnia, sed eorum aliqua refrigerent & hume-

umectent, alia refrigerent & exiccent, & aqueam illa, terream ista naturã sortiantur, tum duplex his etiam repellentium genus respondet, vnum, quod humidum vel aqueum, alterum, quod siccum vel terreũ repellens nominari potest, & hoc astringens est illud, astrictionis expers. Et quamuis, eorum, quæ sub eodem genere continentur, si conferãtur inuicem, alijs alia validiora sunt ac debiliora, simpliciter tamen loquẽdo, fortius repellunt astringentia quæuis, quàm ea, quæ sunt astrictionis omnis expertia. Nec mirùm, nam illa sola frigiditate calorem & humores non fugãt vt ista, sed contrahentia quoque corrugantia constringentiaq́; partes, in quibus humores consistunt, eos exprimũt, & (vt ait Galenus artis Medicinalis cap. 95.) facultati vasorum expultrici vigorem addunt, vt expressos ad alias partes à se longius dissitas, & à quibus ante profluxere, remittant. Et hinc idem Galenus 5. simpl. 17. medicamentum illud

quod cum frigiditate partium crassitudinem habet veluti astringens, violentius repellere pronunciauit, non negãs interim, quin quod frigidum est & astrictionis expers, repellat etiam, quamuis id haud æquè vehementer & violenter faciat, ac illud, quod & frigidum est, & astrictionis particeps. Atq; quòd repellant etiam ea quæ frigida sunt & astrictionis expertia docet Galen. 14. meth. 3. dicens Solanum, semperuiuum, portulacam, vmbilicum veneris, psyllium, altercum, intybum, lenticulam palustré, & id genus alia, quæ frigida sunt & aquea, non terrea, non astringentia, materiam erisypelas facientem, sufficienter repellere. Cæterùm sunt hæc sanè quamuis frigiditate forsan superiora, quoad repellendi tamen vim & efficaciam inferiora, tum propter rationem superius allatam, tum quia quemadmodum quæ cum caliditate coniunctã habent partium tenuitatem vehementius attrãhunt, sic quæ cum frigiditate par-

partium craſſitiem obtinent valentius repellunt. Exempla medicamentorum quæ cum frigiditate partium craſſitudinem & aſtrictionem coniunctam habent, ſunt Acacia, acetum, Balauſtium, bolus Armenus, burſa paſtoris, ceruſſa, corallium, corna, cupreſſi folia, germina, nuces, cytinus, equiſetum, fructus & folia tum meſpili tum myrti, galla immatura, glandes, hypociſtis, hæmatites, malicorium, mala cydonea, Oxyacantha, plantago, plumbum, polygonum, pruna, pyra ſylueſtria, quercus cortices & folia, Rhus, roſa, rubi frondes & fructus, ſalix, ſanguis draconis, ſorba, ſtibium, Terra cimolia, lemma ſeu ſigillata, tormentilla, vinum auſterum, nigrum, vitium tum folia, tum capreoli, reliqua demum omnia frigida ſicca terrenamq́; ſubſtantiam habentia, ſiue ſimplicia ſiue compoſita, quorum (inquit Fernelius) influxionum initijs tempeſtiuus eſt vſus, niſi fortè materia, vel peſtilens, venenata malignaue ſit, vel cri-

tico modo depulſa; vel emunctorijs excepta, vel acerbum & excruciãtem dolorem habeat cõiunctum, quippe prolicientibus tum & paregoricis vtẽdi locus eſt non repellentibus & exaſperantibus. Huc referuntur immò cum his eadem ſunt medicamenta, defenſiua vel intercipientia, ſoloque differunt vtendi modo, ſi namq; ponantur in partibus affecto loco proximis, materiã repellunt à venis minoribus ad maiores & ab his rurſus ad alias, donec materia quaſi tota recurrat, ſi verò ponantur ſu per intermedia vaſa, quę præſertim apparent in articulis & locis ex carnibus fluxionis curſum intercipiunt, & impediunt humores fluentes ne poſſint vlterius procedere, qua ratione defendũ partem affectam à vehementiore fluxionis impetu.

Quæ per nares, vel immiſſa, vel hauſta, ſuperuacuam cerebri pituitam cùm ipſius aut ſubſtantiam aut menynges collectam, ac fluitantem, proliciun

ciunt, Errhina dicuntur à practicis, & esse debent tum acria tum extergentia, sic enim & commodissimè trahunt & vim expultricem irritant. Huiusmodi sunt (inquit Gorræus) Anemone, betonica, brassica satiua, betæ succus, cuminum, cucumeris syluestris pulpa, melanthium, cyclaminus, sal Ammoniacus, nitrum, iris arida, veratrum, staphysagria, sampsuchum, tum oleo vel vnguento vel lacte vel alio liquore excepta, & naribus inuncta, tum in puluerē trita tenuissimum, & per arundinem insufflata. Quod vbi actum est, æger deorsum pronuere debet, quo videlicet coactus humor destillet, hæc ille. Verùm hic quoque notādum, quòd errhinis locus non sit, vbi vel vlceri nasus fuerit oportunior, aut oculus imbecillior: & quòd, quando quis ijs vti voluerit, habere debeat os aqua frigida plenum, ne, si forte tales materiæ deciderent in palatum & fauces maius aliquod malum procrearent.

Quæ per palatum, è capite pituitam, vel gargarizata, vel illita, vel manſâ, prolectant, Apophlegmatiſmi dicuntur, habent autem ea calidam & acrem facultatem, ratione cuius, non tantùm eliquatur & attrahitur è capite pituita, verum etiam cerebri vis expultrix ad eam exturbandam incitatur. Talia ſunt (inquit Fernelius) Maſtiche, Sinapi, naſturtium, pyrethrum, piper, eruca, iuniperi baccæ, ſemen raphani, nigella, ſtaphyſagria quæ poſſunt varijs modis in vſum comparari. Videndum tamen ne præcipiantur ijs quibus vel vlcus eſt in faucibus aut ore, vel vlceri phlegmoni fluxioniuè pulmones ſunt oportuniores.

Quæ pectus purgant, Bechica vocantur: hęc (inquit Bieſius) dulcia ſint oportet cum extenuandi ſimul & abſtergendi virtute, dulcia, quatenus partem laborantem ſpectant, quæ cum exaſperata ſit, læuigari debet, abſtergentia, quatenus humorem, qui tenacius adhæret,

aufe-

auferunt, & ob id etiam discindendi vim requirunt. Addit Montanus, ea nõ debere potenter, vel excalfacere, vel exiccare, sed potius humectare, veluti faciunt, glycyrrhiza, calaminthe, hyssopus, prassium, iris, agaricus, cassię siliquę flores, asparagus, apium, helenium, brassica, adiantum, pulegium, polium, pulmonaria, passulæ, ficus, palmulæ, pineæ, pistacia, amygdalæ, & quæ cubebę vocantur, semen fænigræci, lini, cumini, cari, Zedoaria, scilla, radix altheæ, maluæ, spica, crocus, myrrha, saccharum, mel. Et hæc quidem vera sunt, si materia non fuerit admodum vel tenax & crassa, vel tenuis & fluida. Nam si materia densior sit & firmius impacta, mineturq́; propterea suffocationem, necessarium erit ad ea confugere, quæ cum tenuissima sint & acutissima, valdè quoque calida sunt & sicca, quibus materia dispescatur, qualia sunt sulphur viuum, oleum anisi, cynamomi, fęniculi, gariophyllorum, iuniperi, suc-

cini, terebinthinæ, vitrioli; ſin materia propter tenuitatem ægrè reijciatur opus erit ea præſcribere, quę frigida ſunt, & materiæ tenuiori condenſandæ conueniunt, cuiuſmodi cenſentur, hordeũ, iuiubæ, violæ, papauer, portulaca, bolus Armenus, terra ſigillata, pſillium, & ſimilia, quorum cum alijs permiſtio varias proferre poteſt compoſitiones ad hanc rem haud inutiles. Atquè cum rarò contingat, vt in ſimplici medicaméto reperiantur omnia, quæ ſunt ad eam neceſſaria, tum ſatius eſt, hic vti compoſito, quàm ſimplici. Cauendum autem ab omnibus, quæ ſunt acida, ſalſa, vel acria, nam hæc (vt probè monet Fernelius) tuſſim plerumq́ue fruſtra ciét, nec ex vſu ſunt, niſi cum pigriorem vel imbecilliorem expultricem vim ſtimulare oportet. Eligenda quoque lenta craſſaq́; medicamenti cõpoſiti forma, qualis eſt eclegmatis aut ſyrupi craſſioris, ne liquidior properè nimis illabatur, lenta quippè (præſertim ſi ſenſim ac blandè

quaſi

quaſi lambendo dimittatur) quoniam diutius ſubſiſtit obhæretque faucibus, maiore portione ſubit in aſperam arteriam. Adhęc ſi fuerit arteria trachęa ſiccior & aſperior obſtetq; proinde naturæ conatui, lubrica fiet & humecta mucillaginibus, emulſionibus, decoctionibus, & id genꝰ alijs partim exhibitis partim adhibitis, & ita tum intus tum foris omnibus quibus expectoratio liberior impeditur obſtaculis occurremus.

Medicaméta, quæ per aluum aliquid educunt deiectoria ſeu purgantia, vulgò dicuntur. Et quamuis minus fortaſſe ſignanter purgantia vocentur, quoniã cum euacuatio quæuis vitioſorum humorum vndecumq; demùm fiat, purgatio dici poſſit, nec locus, per quem eiuſmodi vacuatio fit, purgationis vocabulo deſignetur: tum non ea tantùm quæ per aluum verumetiam illa, quæ per cutim, os, pulmones, nares, & alias vias humoré aliqué vitioſum euacuãt, ęquè proprie poſsũt purgãtia nũcupari,

nisi

nisi per adiectionem partis, per quam euacuant, contrahantur, &, per aluum purgantia, (loco scilicet per quem purgant adiecto) nominentur: quia tamen ea magis confertim & confestim euacuationem moliuntur, quàm quæ per alias vias euacuant, ideò per excellentiã quandam, haud quidem immeritò, simpliciter, purgantia dici consueuerunt. Purgantia dum ea voco, caue credas ipsa per se sola purgationem absoluere, totamque proprijs ipsorum tãtummodò viribus euacuationem efficere. Duo namquè requiruntur ad hoc, vt purgatio perfecta fiat, vnum est, vt ex vniuersis totius corpis venis ac vasis humor ad certum ac determinatum aliquem in corpore locum, ventrem videlicet inferiorem trahatur, alterum, vt inde deturbetur & extra corpus protrudatur: illud præstatur à medicamentis, hoc à natura. Medicamenta namq;, quæ purgantia vocantur, ingressa ventrem inferiorem, ibiq; firmata, trahunt ad se vitio-

tiosos ex vniuerso corpore succos, quod vbi factum fuerit, natura, tum pharmaci, tum humoris, partim qualitate stimulata, partim quantitate grauata, vim expultricem incitat ad vtrumq; simul eijciendum & excernendum quoniam illi parit vtrumque molestiam. Atque de tractione quæ fit à medicamentis purgãtibus expreßè loquitur Galenus, tũ alibi, tũ 5. simp. 17. dicens esse medicamentorum attrahentiũ genus quoddam, quod attrahit familiaritate qualitatis, id quod (inquit) aliud nihil est quàm totius essentiæ similitudine, ceu quæ nutriuntur, familiaria nutrimenta attrahunt: talium medicamentorum (ait) sunt purgantia omnia & nonnulla alexiteriorum siue amuletorum. Cæterùm vt calida sint id genus omnia necesse est. Nam inter ea quæ essentijs similia sunt, quod calidius est, id potentius attrahit, vtpote quod similitudini auxiliarium adiunxerit calorem: siquidem cùm ipsum duabus causis attrahat,
supera-

ſuperabit id, quod vna duntaxat trahit: Ac ſi diceretur, primaria ratio propter quam ad ſe rapiunt medicamenta purgantia ſuccos vitioſos, ſuos videlicet eorum vnumquodque, conſiſtit in ſimilitudine, non quidem, vel temperamẽti, vel coloris, vel alterius alicuius qualitatis manifeſtæ, ſed eſſentiæ totius, ac ſubſtantiæ ſeu qualitatis occultioris: cũ qua tamen ita calor concurrit, vt non immeritò dici poſſit auxiliaria, ſubſidiaria, ſeu ſecundaria tractionis huius cauſa, quo fit vt mirari, nec queas, nec debeas cur à medicamento vitioſus potius ſuccus trahatur quàm à vitioſo ſucco medicamẽtum, fortius namq; trahit medicamentũ purgans duplici tractionis genere, ſimilitudine ſcilicet & calore, quàm vitioſus ſuccus ſimplici, ſola videlicet ſimilitudine. Depulſionẽ à natura fieri, Galenus vbiq́ue docet, & dicit, omnibus propemodùm animalis partibus ineſſe deſideriũ quoddam ac veluti appetentiam conuenientis ſibi

qua-

qualitatis: auersionem autem quandã velutiq; odium, alienæ: Atque, dum appetunt (inquit) attrahere rationabiliter existimantur: dum auersantur repellere, ex quibus rursus tum attractoria vis in toto inesse monstratur, tum expulsoria 3. de facult. natur. 6. Quod quidem tam esse certum 2. de sympt. caus. 5. declarat, vt non tantùm in amplis instrumentorum capacitatibus, veluti ventriculo, v. g. vtraque vesica, intestinis, pulmonibus, & naso, verumetiam in angustioribus & in ipsis etiam corporibus, veritatem habere deprehendatur. Et ex his sanè constat, tum ab initio medicamentorũ tractionem à natura promoueri, pellente videlicet ea quod superfluũ est, ex venis minoribus ad maiores & hinc ad ventrem: tum absoluta tractione, depelli pariter ab eadem & extra corpus deturbari tam medicamẽta quàm succos, à quibus in eundem locum coeuntibus non mediocriter infestatur. Atque nisi purgationem

tam

tam à natura sic expellente, quàm à medicamento trahente fieri dicamus, corruent equidem omnia, quæ tum à Galeno tum ab alijs de superpurgatione prudenter sancita sunt ac stabilita. Sed his missis eorum iam differentias & exempla proferamus. Cum itaq; medicamēta, quę purgantia dicuntur, sola succorũ vitiosorum tractione purgationem moliantur, sintque tria tantùm modò vitiosorum succorum genera quibus tractio purgatioque debetur, pituita nimirum, flaua bilis & melancholia: tum inde conficitur triplex etiam esse medicamentorum purgantium genus, vnum, quod pituitam, aliud, quod flauã bilem, & tertium quod melancholiam euacuet, quorum rursus singulorum triplex à medicis ordo constituitur, benignorum vnus, alius malignorum, & tertius, mediocrium. Hinc, ex benignioribus, quæ pituitam purgant, sunt, Absynthium, hyssopus, mel coctum, mel rosaceum simplex, mentha, oxymel,

simplex,

simplex, oinomel & thymus: ex medioribus, Agaricus, hermodactylus, Myrobalani bellirici & chebuli, benedicta laxatiua, diaphænicon, mel rosaceum solutiuum, ex malignis, colocynthis, euphorbium, granum gnidium Trochisci Alhandal, & similia. Benigniora cholagoga sunt, aqua lactis, aqua expressionis cucurbitæ cum saccharo dulcorata, aqua granatorum, succus violarũ, aqua stæchadis, cassia, manna, tamarindi, Electuarium de sebesten, diaprunum simplex, syrupi rosaceus, & violaceus, solutiui: Mediocria sunt Aloe, asarum, centaurium, Myrobalani flaui, Rhabarbarũ, diaprunum solutiuum, Electuarium de psillio, de succo rosarum: maligna sunt diagrydium, scammoneũ, Tithymali cuiusdã vel cortex medius, vel planta puluerizata, vel secundum Biesium succus, & id genus alia. Melancholiam benignè ducũt, brassicæ decoctum, fumariæ vel infusio vel decoctio, lupulus, Ius galli decrepiti: mediocriter, Asari radix, epi-

thymum, myrobalani nigri polypodiũ, Sena, diacatholicon, diaſena, Hamech, hiera logadionis, puluis ſenę cõpoſitus: Cum malignitate lapis Armenus, lapis lazuli, niger elleborus, & quæ ſunt generis eiuſdem. Atq; de medicamentis purgantibus hic plura dicere ſuperſedebo, nam omnia, vel vlterius recenſere, vel in plures ordines diſtribuere, vel, quod ab alijs video factitatum, ad manſiones varias redigere, vel vberius explicare, maioris eſt negotij, quã vt mihi ſatis ſit ad id agendum otij, cum pręſertim tantis & tam multis res iſtæ ſint inuolutæ difficultatibus, vt inde ſi vellem eas eruere, vix vlla temporis diuturnitas ſufficeret.

Quæ per oeſophagum aliquid educunt medicamenta, vomitoria iure ſuo vocantur, quandoquidem vomitus definiatur motus, quo ventriculus supernè quę moleſtãt expellere nititur, & nõ ſit alia via, per quã quæ vomitu reijciũtur poſſint ad os aſcẽdere quã oeſophagus:

gus: vnde Galenus, 7. aph. 37. quæ vomi nus (inquit) è gula quidẽ & ventriculo, quæ verò extussimus, ex aspera arteria & pulmone feruntur. Sunt autem oesophagus & gula synonyma, duo scilicet vocabula partem eandẽ in corpore denotãtia. Cum igitur ventriculũ, aut partes illi vicinas ex quibus breues ad ventriculum & expeditæ sunt viæ, superuacuus humor infestat, qui per aluum facilè deturbari nequit, medicamentis vomitionem cientibus per oesophagum eliciendus is erit & euacuãdus. De medicamentis istis loquẽs Oribasius adhibendã esse dicit diligentiã, ne quę dãtur ad vomitũ ciẽdum acerba sint & arida: sed dulciora partim & humidiora partim autẽ acriora quibus verbis innuit, pro vomitione facienda, proritandam esse facultatem expultricem acribus, & hebetandam retentricem ijs, quæ dilatant & humectant. Sunt autem ex hoc genere quædam mitia, quędam mediocria, quædam vehementia,

Purgant (inquit Fernelius libr. 5. meth. ca. 8.) vomitione alia blandè, vt atriplex & raphanus, alia mediocriter, vt asarũ, alia molestè vt Elleborus: & eiusdem li. cap. 13. Raphanus (inquit) offensione nulla, vomitione purgat, atque ventriculum blandè exinanit, peponis radix nulla etiam qualitate infensa ventriculum eo quo & raphanus modo vomitione expurgat, vrtica his aliquãto acrior non è ventriculi modò capacitate sed ei quoq; vicinis partibus crassos humores euocat, ac facilè minimoq; labore vomitu pellit, Asarum vomitione validius quàm quæ nunc proposui, primò ventriculum, deinde vicinas & abditiores partes ex interuallis purgat, Iuglandis arboris, quum præsertim succo madet, decerptus medianus cortex arefactus tritusq; vomitionem ciet, sparthũ maius vomitione pituitam & alios humores trahit, ventriculum tamen conturbat & aliquantum offendit, Balanus Myrepsica uentriculum visceraque con-

conturbat, & craſſos ac lentos humores vomitione purgat, Elleborus albus mordet & vomitu tam violenter purgat, vt propè ſtranguletur, vomitum quoq; ciet, ſambucus, ebulus, ricinus lathyris & Eſula, quæ tamen ijs propinanda nõ ſunt qui vel vomitioni non ſunt faciles, & aſſueti, vel graciles, vel os habent vẽtriculi debile, pectus anguſtũ, collum lõgum, vel tabe tuſſiuè facilè corripiuntur, quibus adnumerat Fallopius puſillanimes, nam in tali (inquit) euacuatione opus eſt audacia, quoniam violenta eſt euacuatio, & hac de cauſa, medici excipiunt pueros mulieres & ſenes, quia hoc genus hominum eſt puſillanime & debile, ita vt non toleret huiuſmodi euacuationem.

Medicamenta quæ ſudorem prouocant, & hydrotica ſeu ſudorifica nominantur, habent (inquit Bieſius) cum calore tenues partes, veluti moſchus, ambarum, caſtorium, ſuccus cyreniacus, anacardus, crocus, ſtæchas, anethũ, ab-

rotanum, chamæmelum, melilotus, calaminthe, pulegium, ficus, lignum Indicum, cortex Iuniperi, ebuli, lentiſci, radicis geniſtæ, flores ſtæchadis & roriſmarini, præſertim ſi fuerint artificioſe attenuata: ſic Theriaca ſtillatitia mirificè prouocat ſudorẽ, & hęc quidẽ omnia non tantũ morbi cauſam, humorẽ videlicet, in vaporem attenuant, ſed reſerãt etiam poros cutis obſtructos & aſtrictos, vt vapor exire valeat.

Medicamenta, quæ ſeroſos humores & aquas ducunt hydragoga vocãtur, & varia recenſentur à Medicis, Agaricus, aqua pſillij, aqua raphani, caſtoriũ, cnicus, Ebuli ſuccus, elaterium, Elleborus albus & niger, euphorbiũ, flores geniſtę, Iris, lathyris, mezereon, opopanax, ſagapenum, ſemen nigellæ, ſoldanella, ſucc⁹ ciclaminis, radicis bryoniæ, ſambuci, Thapſia, turbith & id genus alia, de quibus obſeruandũ, q̃ monet Fernelius, nimirum, præter ebuli ſambuciq́; ſuccum ex alijs nullũ, aut pueris, aut ſenibus, aut imbecillis, aut prægnãtib⁹, aut extenuatis,

tis, aut biliosis, aut febre morbouè quopiam acuto correptis, aut æstuoso cœlo cōuenire: sed robustis duntaxat, qui frigidis diuturnisq; morbis tenētur, idque frigido, vel certè temperato cœli statu.

Medicamenta menses mouentia, 5. simp. 22. statuit Galenus, supra mediocritatem calida, non autem valenter desiccantia: qualia sunt (inquit) sabina & meū, & iris, & calaminthe, & pulegium, tum dictamnum, asarum, costus, cassia, cynamomum, amomū, Aristolochia, buniū, & eius generis reliqua, quæ purgationum vteri retentiones absolutas, sanant. Et quāuis haud ignorauerit Galenus, quòd quemadmodum causę plures sint à quibus menses queunt supprimi, veluti 3. de sympt. caus. 4. & 5. aph. 57. manifestè docet, ita plures quoque sint eorum mouendorū & euocandorū rationes: nihilomin⁹ quoniā quę causis alijs aduersātur, sub alijs nominib⁹ alibi declarauerat, vbi videlicet quib⁹ medicamētis aperiēdū, alterādū, attrahēdū,

corroborandum, aut id genus aliud agendum esse significauit, & supererat adhuc ratio qua sanguis crassus glutinosus viscidus & ad fluxionẽ segnis ac ineptus, redderetur fluxibilis & fluidus, quod in restitantibus mẽsibus quasi solis est maximè necessarium, ideo peculiari proprioq́; nomine vocauit dicta iã medicamenta, menses mouentia, seu quod idem est medicamenta mensibus eliciendis congrua. Quæ lotium & vrinam proliciunt medicamenta, nõ valdè dissimilia sunt ijs, quæ menses prouocant: vnde Galenus 5. simp. 22. postquã medicamentorum menses mouẽtium exempla protulisset, ait talia quoq; vrinam promouere, sed hæc illis, hoc est, diuretica menses mouentibus esse tum calidiora, tum vehementius desiccantia: nã à diureticis, inquit eiusdem libri c. 13. non sanguis duntaxat extenuatur, sed & funditur ac secernitur, non secus atq; lac coagulatur, seroso videlicet ac tenui seorsim segregato, crasso verò in

sese

ſeſe coeuntem. Siquidem quo facillimè ad ſeſe attrahant renes quod in ſangui- ne aqueum tenue ac ſeroſum eſt, vtraq; hæc conferunt, nempe totius ſanguinis primùm fuſio, poſtea ſegregatio, quo- rum neutrum abſq; valido calore pera- gi queat, quod autem inſigniter eſt cali- dũ valdè pariter deſiccat. Exempla diu- reticorum ait Galenus eſſe ſemen apij, petroſelini, fæniculi, dauci, agrioſelini, ſmyrnij, & ſanè ipſum quoque ſeſeli, & ammi, & phu, & meon, & aſarum, & a- coron, quæ peculiariter (inquit ca. 22.) dicuntur vretica ſiue vrinam mouétia, non quia ſola mouent vrinas, ſed quia ſolas, & non etiam menſes ac lac. Acſi di ceret, etſi plura ſunt medicamentorum genera, quibus non incommodè poteſt interdum vrina promoueri, veluti, v. g. ſi meatus in veſica renibus aut vreteri- bus à cauſa quapiam coarctentur, ijs, quibus anguſtia tolli ſolet, pro cauſarũ coarctantium varietate plurimum in- ter ſe differentibus, ſi virtus, aut hepatis

vel concoquens, vel expellens, aut renũ attrahés debilitetur, ijs, quæ renibus ac hepati robur addunt, si serositas, aut absumatur, aut alio feratur, ijs, quæ gignũt vrinæ copiam, & ipsius ad alias partes transmissionem impediunt, si denique propter aliam aliquã causam vrina supprimatur, ijs, quę causam illam auferũt, hæc tamen quæ modò diximus & similia propriè diuretica nominantur, non quòd sola, sed quòd solas ducant vrinas, & causæ communiter occurrẽti lotiũq; sæpissimè sistenti, succorũ scilicet crassitiei lentorique resistant, ac serum ita præparent, vt copiosius ac celerius à renibus attractum ad vesicã deuoluatur. Atque natura quidem diureticorũ propriè dictorum hęc est, exemplis aliquot illustrata, plura verò reperiuntur apud practicos, de quibus sic statuũt Iuniores quidã, népè diuretica quædã esse mitissima, quædã mediocria, quædã validissima. Mitissima sunt Absynthiũ ponticũ, Althеæ semẽ, anagallis, artemisia, beta, cappa-

capparis, caricæ, cortex rad. ononidis, enula, eupatorium, glycirrhiza, lupini, nux moſcata, ſpica tum Celtica tũ Indica. Mediocria ſunt, Alliaria, Amygdalæ amaræ, anethum, apium, aquæ thermales ſalſæ vel ſulphureæ, arum, aſarũ, baccæ lauri, caruum, daucus, eruca, fænicu-lum, Guaiacum, Iuniperus, naſturtiũ, ruta, ſa luia. Validiſſima ſunt, aſelli, baccæ hederaceæ, cãtharides, cicadæ vſtæ, cymices, eryngij radices, oleũ aniſi, baccarũ Iuniperi, cynamomi, fæniculi, garyophyllorum, terebinthinæ, ſemẽ vrticæ maioris, & ſimilia quæ varijs inter ſe modis permiſta magnam proferent compoſitionum ſegetem.

Quæ calculũ reſpiciũt medicamẽta, duplicia ſunt, aliqua, namq; cõminuũt ipſum & frangunt, alia fractũ eijciunt. Hæc cum diureticis eadem planè ſunt, nam cũ diuretica ſint acria, veluti notat Galenus 5. ſimpl. 13. tum meatus vrinarios valenter expurgant, facultatẽ corporis expultricẽ irritãt, & inhærẽtes in vrinæ vijs arenulas eluũt, ac calculos ex

arenulis leuiter cốcretos (vt ait Fernelius 5.meth.25.) dissoluũt atq; diripiũt, non est igitur necessarium vt in ijs explicandis amplius desudemus: Illa verò qua qualitate polleant haud sanè constat apud authores. Aliqui namq; dicũt, quòd vel attenuent & incidant citra calorem, ac siccitatem insignem, vt acetũ scilliticũ, oxymel ex eodem cốfectum, succus limonum, succus oxalidis quam acetosam vocant, radix asparagi, rubi, graminis, & personatæ, Adiantũ Asplenium betonica: vel asperitate sua superficiem abstergant & atterant, haud aliter quàm aspera duo duraque corpora collisa simul & attrita se comminuunt, vt vitrum combustum, ouorum testæ, milium solis seu lithospermon, terra vel melia vel chia, calculus ipse in potu exhibitus. Alij non fore credibile putãtes, vt quippiam calculos duriores, qui malleorum ictibus vix cedunt, sua vel acrimonia dissoluat vel asperitate conterat, nisi prius, aut substantiã visceris, ac

partis

partis in qua lapis consistit, centuplo teneriorem & molliorem quàm est lapis, qui comminui debet, erodat & exedat, aut vias angustissimas, venas videlicet mesaraicas, & eas, quæ per hepatis substantiam disperguntur allisione vulneret, ea ferè damnãt omnia, quæ iam recensita sunt, & id genus alia tanquàm quę citra noxam, lapidem, eius substantiam subeuntia, nec dissoluere valent nec deterere. Quarè sunt in ea sententia, quòd nephritica sola dicenda sint illa, quæ vapore quodam, alijs partibus innoxio, lapidique soli, per analogiam quandam, pernitioso, sic lapidem confringere, conterere, comminuereq; valent, vt alteri rei cuipiam damnum nullum inferant, qualia sunt, (inquiunt) tecolithus, lapis Iudaicus, lapis lyncis, lapis nephriticus, lapis in cancrorum capitibus, spongijs, aut apri vesica repertus, maxilla lucij piscis, sanguis hyrci, puluis leporis vsti, puluis passerculi qui troglodites vocatur, fraga, milium solis

seu

ſeu lithoſpermon, gummi ceraſorũ ac prunorũ, adiantum, eryngij radix, & alia quædam, quæ talem ex ſe vaporem emittere nata ſunt, qui viſceribus & vaſis illæſis, ad lapidem perueniens ipſum perfringat, non aliã quidem ob cauſam quàm propter analogiam, quæ (veluti dicit Fracaſtorius libri ſui de ſympathia & antipathia cap. 11.) vel in communi principio, vel in alia quapiam circũſtantia conſiſtens, facit vt aliqua res agat in vnam tantummodò materiam, non autem in aliam quamcunq́;. Si namq́; fulmen, aurum in loculo, gladium in vagina, colliquet & confringat, nec vllã, vel loculo vel vaginæ, vim inferat, & argentum viuum in lignea pixide repoſitũ, pixidi non officiat, aurum aũt repoſitũ, & mollius efficiat & quodãmodo corrumpat: quid vetabit, quin medicamẽta nephritica modò cõmemorata, partibus, quas pertranſeunt, & in quibus lapis continetur, nullam penitus noxam adferentia, lapidem in renibus aut veſica contentum, confringere, contererecom-

comminuere? ſi præſertim conſideremus, vim illam frangẽdi lapides, à rebus craſſis ac noxijs, quibus inerat, ſeparatã, tenuem & innoxiam euadere, necnon à calore naturali, qui vel ſolus tum alias res admirandas, ac planè diuinas in corporibus efficit, tũ abſq; medicamentis lapides in paroxyſmis nõnunquã fælici ter eijcit, adiuuari. Sed ex iſtis quinã rectius dixerint aliorũ eſto iudicium, ego verò, poſtquàm iã id quod ſuſceperã, ad finem vſq; perduxerim, & ſatis (vti ſpero) luculenter oſtenderim, qua ratione queãt, ad propoſitas à me quatuor claſſes, omnia medicamẽtorum genera nõ incommodè reuocari, videor inſtituto meo feciſſe ſatis: aut ſi quid adhuc deſideretur (nihil enim ſimul & inuentũ eſt, & perfectũ) quod maiorem huic tractationi lucem adferre poſſit: illud tẽtabo (Deo dante) ſuo tempore ſupplere, fœtumq́; quem modò rudem ac nudum ſpectandum exhibeo, magis olim excultum & elegantem reddere conabor.

FINIS.